



600010623I





DE L. POMPONIO BONONIENSI ATELLANARUM POETA

SCRIPSIT

FRAGMENTAQUE COLLEGIT

DR. EDUARDUS MUNK.



GLOGAVIAE

IN LIBRARIA NOVA GUENTERIANA.

MDCCCXXVI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
PRAECEPTORI OPTIMO

DR. FRANCISCO PASSOW

IN UNIVERSITATE LITTERARUM REGIA VRATISLAVIENSI ELOQ. ET POES. PROF. PUBL. ORD.

HOC PRIMUM STUDIORUM SUORUM
SPECIMEN CONSECRAVIT

AUCTOR.

Atellanas fabulas inter omnia dramaticae poeseos genera, quibus olim usi sint Romani, cessisse quidem fabulis e Graecia Romam translatis arte et argumenti et stili, proprio tamen Italico quodam colore et sale ab alienis non petito, nec raro felle condito insignes fuisse cum constet; eo magis mirati sumus, quod nullusdum ad nostra tempora eas accuratiori studio dignas habuerit, quippe quae olim, quia et humilium hominum mores describebant et linguam imitabantur, qua plebs uti solebat, ab antiquitatis interpretibus nonnullius momenti sunt habitae. Intellexerant enim in plebe, quae minus, quam eruditi et nobiles prona est ad linguam moresque avitos mutandos, vetustatis vestigia optime posse inveniri et cognosci. Quare omnia fere fragmenta, quibus gaudemus superstitibus, veterum grammaticorum studio

debemus, qui in eruenda vetustate Atellanarum scriptores saepe adierant. Nec propterea solum interest, harum fabularum reliquias collegisse, quia linguae vestigia persequenti haud exiguo sunt emolumento, sed quia insuper verae earum rationis expositio (quae, quam difficilis sit et impedita, eo patet, quod veterum scriptorum rara et ambigua de Atellanis mentio, et fragmentorum copia exigua et mendis inquinata conjiciendi potius acumini, quam certo judicio favent) multum lucis afferat, necesse est et veteri Italicae poesi nondum satis, ut mihi quidem videtur, explanatae, et Romanorum artis poeticae studio toties perperam censo, quippe qui non dubitarunt, hoc patrium poeseos genus illi, quod a Graecis petiverant praestantissimo opponere, et ut proprium quodammodo praeferre.

Itaque quia non ab re fore duxi, huic Italicae poeseos genuino generi accuratius studium dedicare, cum jam eo essem occupatus, ut quidquid nobis de Atellanis veteres tradiderint, colligerem, collectaque

et a mendis purgarem, et ad propositum meum adhiberem, allatus est mihi libellus Schoberi [1]) modo in lucem editus de fabulis Atellanis, in quo nonnulla quidem inveni, in quibus cum illo consentio, multa tamen, quae, quia aliter mihi visa sunt, in medium proferre, non dubitavi, ut qui nos legunt judicent, uter peccaverit.

Jam in hoc eodem argumento tractando contrariam viam ingrediendam esse censui, cum mihi persuasissem, non posse de unoquoque vetustatis argumento bene et copiose disseri, nisi materia collecta, a mendis purgata, et cum studio et cura exposita. Itaque lucubrationum mearum primum hujus generis specimen, quaestionem de L. Pomponii vita et novo invento opere continens, praemissis simul, quae de origine et successu Atellanarum fabularum ante Pomponium dicenda erant, additisque fragmentis, quibus et colligendis et in

1) Ueber die Atellanischen Schauspiele der Römer v. C. E. Schober. Leipzig bei C. H. F. Hartmann. 1825. 8.

pristinam formam restituendis operam meam qualemcunque dedi, aequis judicibus, qua par est reverentia, trado.

Quodsi ratio nostra non omnino improbatur, in altero volumine ea, qua ingressi sumus, via pergere in animo est de statu et successu disputantes, quo inde a Pomponio fabula Atellana usa est, adjecta de Novii Memmiique vita investigatione et fragmentorum collectione. Quae omnia ita pertractata fundamento fore speramus copiosae et ab omni parte absolutae disquisitioni, quae de Atellanis in posterum vel a nobis, quantum per vires nostras fieri poterit, vel ab alio instituetur, ut in hac quoque re legi obediatur, quae stricte observanda est in tractando omni argumento ex antiquitate desumto, ne quis sibi de quacunque re dijudicare sumat, nisi ipse materiam diligenter collegerit, opem sanandis tulerit, obscura explicuerit, lectorique proposuerit, ut et ipse, quantum in homine potest, tutus sit ab errore, et lector habeat, quod oculis potius videat, quam quod auctoris fidei credat.

Miram quandam omnium Italiae gentium similitudinem non poteris, quin observes, qua vel hodie Itali prae ceteris Europae populis insignes habentur, eximium dico cantus et saltationis et imitationis a natura ipsa iis innatum amorem et praestantiam, Graecorum aemuli, etsi in excolendis rudibus initiis multo inferiores. Additis enim cantui et saltationi verbis, eo, quod certando aemulabantur, ortum est carmen amoebaeum (ᾆσμα ἀμοιβαῖον) omnis Italicae poeseos elementum. Quod amoebaeum genus cum dramatico comparari quidem potest, tamen ne confundatur, cavendum est magnopere. Etenim ludus erat, quo alter alteri versibus, ut in mentem venerant, incultis et rudibus respondebat, non sine cantu et gestu vocibus adaptato. Cujus ludi materia latissime cum pateret, pro diverso gentium animo et vitae modo erat diversissima, nec absonum censebatur, fabulas et narratiunculas vel ex antiquitate desumtas, vel quales vita offerebat, inserere. Quod si fiebat, casu potius, quàm quia poeticum genus postu-

labat, institutum fuisse putandum est; nam rudes et male salsi nominatim conviciis sese invicem carpebant, quod cum ob invidiam minus placeret, satius habebant, sub fictis personarum nominibus conditionem excogitare, quae jocandi ridendique largam materiam sine omni invidia praeberet. Inde artem mimicam natam esse apparet. Vitae enim accurata descriptio summum erat, quod hi ludi appetebant, cetera, ut fabula ipsa, si qua intexebatur, minoris momenti habebantur.

Jam licet horum generum paucae modo eaeque dubiae plerumque reliquiae supersint, tamen dilucide possumus eorum vestigia persequi. Meram enim saltationem cum cantu et muta corporis motuum imitatione conjunctam, sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu inter Etruscos exstitisse, e Livii loco VII, 2. discimus. Praeter hoc Italicae poeseos genus infimum, quod religionis potius, quam delectationis speciem prae se tulisse videtur, Fescenninos versus in Etruria floruisse scimus, quem amoebaei carminis modum

Romani amplectebantur Fescennis et Saturninis versibus alternos invicem lacessentes. Infestivus tamen et male salsus modus, quo homines nominatim perstringebantur, nihil jucunditatis et elegantiae in se habere poterat, nec immerito fuste [2]) exstinguebatur.

Quae rudia Italicae poeseos initia jam magis exculta in Campania Italiae facile fertilissima et agriculturae aptissima regione apparent; etenim rerum abundantia, qua Campani fruebantur, et Graecorum cognitio, qua e longo tempore gaudebant, rudes eorum mores mitigaverant, ludosque arte quadam qualicunque exornaverant. Qui quidem ludi, cum otium, cui post duros labores agricolae indulgebant, non tam gravitatem, quam jocum et risum postularet, altiora quaeque plane respuebant, nec rusticae vitae an-

2) Cf. Horat. Epist. II, 1, 145. sqq. Sat. II, 1. 82. Cicer Tusc. IV, 2. Augustin. de civ. Dei II, 9. qui legem XII. tabularum citat: „Sei quis occentasit, casmenve condisit, quod infamiam faxsit flacitiomque alterei, fuste feritor.“

gustos fines excedebant, tamen eo, quod risus jocusque fabulae argumento inserebantur, etsi non omnino irrisione carebant, cum sub ficto nomine lacesserent, minus invidiosi apparebant, et procaci quadam agresti licentia delectabant.

Sed quo rarius rustica vita pastoricia durior ludendi jocandique ansam praebebat, eo magis tales rusticorum ludi superabantur et sensuum praestantia et verborum elegantia a bucolico illo poeseos genere inter Siculos pastores florenti, quod qui exceptum arte ornarent, ne Graeci quidem respuebant; unde fit, ut de hac poeseos specie omnium optime judicare nobis liceat, Graecorum scilicet imitatione superstite.

Mea quidem sententia omnia genera antea a me descripta in hoc erant conjuncta; nam vel conviciis Fescenninis versibus haud dissimilibus alter alterum lacessebat 3), vel confabulantes sermone ea, quae aliis accidisse ferebantur, quasi ipsis

3) Theocr. Idyll. IV. et V. Virg. eclog. III.

obvia exprimebant et repraesentabant [4]; et ut in rusticis ludis certae quaedam personae in omni fabula eosdem mores ostendebant, ita in his pastoriciis similes se nobis offerunt, ut bubulcus gravis, dives, carminum peritissimus, virtutibus suis superbiens, opilio mitis et tener, caprarius obscenus, protervus, lascivus [5]). Jam cum non ridiculum solum et humile argumentum quaererent, sed etiam re gravi et tristi tractanda, si quid inerat, quod delectaret, gauderent; materiae varietate et praestantia ceteros longe superabant; namque agrestes deos, Cyclopem inprimis, vel pastores fama per multa genera laudatos tanquam bucolicos heroas, ut Daphnin et Comatam, vel celebrabant, vel repraesentabant.

Quod pastoricium poeseos genus praeclaris quamquam abundat sententiis, et amabili quadam hominum naturae convenienter viventium simplicitate mirum in mo-

4) Theocr. Idyll. VI.
5) Schol. ad Theocr. Idyll. I, 87. Virg. eclog. III, 7.

dum delectat; tamen non possumus, quin concedamus, Siculorum poesin eo tempore, quo summum fastigium attigisse visa est, nonnisi cum initiis Graecae poeseos esse comparandam, cum omnia ut in mole rudi et indigesta inter se mixta jacerent; simili fortuna, qua Graeci usi sunt, adtos eos eadem praestitisse, verisimile est.

Pervenimus ad id poeseos genus, quod in urbibus vigebat. Ut enim rure pastoriciam et rusticam vitam, ita in urbe urbanam ostendebant, majori tamen, ut facile intelligitur, cura et sumtu. Jam cum in eo versaretur ludus, ut in urbe hominum moribus describendis spectatores delectaret, majorem apparatum postulabat, siquidem in talibus urbibus edebatur, quae et opulentia et potentia valebant, quippe quod luxuriosi luxuria delectari volunt. Unde factum est, ut praeter illam vitae vulgaris descriptionem, quae scurrilitate et joco hominum potius risum, quam splendore et sumtuosa elegantia admirationem excitabat, non solum divitum et regum opulentiam depingeret, sed deorum quo-

que et heroum facta hujusmodi ostenderet, quae repraesentanda exquisiti splendoris ansam suppeditabant. Itaque duplex genus fuisse videmus, alterum splendidum illud et mythicum ab Epicharmo excultum, alterum a Sophrone vitam vulgarem non excedens, mimum proprie ita dictum, qui, cum ob apparatum, quo egebat minus splendido, et ob facilitatem, qua docebatur, se admodum commendaret, in oppidulis inprimis floruisse videtur.

Nec solum urbanos mores urbanasque personas mimus ostendebat, sed quidquid ridiculi rus praebebat haud contemnens rusticorum stupiditate illudenda ridendaque simplicitate spectatores delectabat. Quos ludos in oppidulis potius, quam in urbibus, in quibus ob splendidiora spectacula, quibus incolae gaudebant, hoc rusticum genus parvi habebatur, edi solitos esse, jam supra diximus, et ut in Campanis agris rusticos ludos, ita in hujus regionis oppidis rusticorum imitationem prae ceteris floruisse, et per se intelligitur, et Atellanae fabulae probant.

Itaque ut, quae nunc disputavimus, brevibus complectamur, ab Etruria inde ad Siciliam usque omnibus fere mimicae poeseos gradibus occurrimus; nudae scilicet corporis motuum imitationi sine diverbio ea, quae exprimantur, significanti in Etruria; rudi altercationi, qua se invicem lacessebant, in Latio; rusticis jocis fabellis immixtis, risu plenis nec sine facetiis, omni tamen elegantia carentibus in Campania; accuratae vitae vulgaris descriptioni, urbanitatem redolenti et splendido jam apparatu exornatae in Italiae inferioris et Siciliae urbibus; denique pastoriciae poesi facetiis abundanti et argumento tenero et suavi, non mentem solum delectanti, sed sensum quoque afficienti inter Siculos pastores. Cujus poeseos pauca et dubia admodum vestigia ne inveniremus quidem, nisi Graeci ea, quibus harum regionum incolae praestabant, coluissent, Romanique et Graecos et vicinos essent imitati. Erat enim Roma quasi centrum, in quod tota fere mimica poesis convenerat, varia genera varia via.

Etruscorum mimicam saltationem pestis tempore Romam translatam fuisse, narrat Livius VII, 2. Factum hoc erat Livio teste C. Sulpicio Petico et C. Licinio Stolone Coss. 390 a. U [6]). Quae saltatio nec postea interiit, sed ut nova religio conjuncta est cum illis juvenum ludis rudibus, quibus Saturninos et Fescenninos inter se versus fundebant. Jam Tusco saltandi et tibia canendi modo recepto, nec non cantu, et eo, quod religionis speciem prae se ferre coepere, juvenum procacitatem et licentiam paulo mitigatam esse apparet; quae nova species satura dicta est.

Tempus, quo ludi isti juveniles cum sacris Etruscis coaluerint, accurate definire non valemus, si Livio fides habenda est, paulo ante Livium Andronicum, quem dicit post aliquot annos a saturis primum

6) Alii scriptores, a quorum partibus etiam Fasti Romani stant, C. Licinium Stolonem, Lic. Calvum appellant; cf. Pigh. Annal. Tom. I, p. 273. Oros. hist. III, 4. anno ab u. c. 389. L. Genucio et Q. Servilio Coss. haec facta esse tradit. Cum Livio, quem videlicet exscripsit, consentit Valer. Max. II, 4.

argumento fabulam serere ausum esse, factum videtur, quingentos circiter annos p. U. c. 7)

Inde genera inter se maxime diversa et materia et dictione, adeo actoribus in scena vigebant, alterum Graecum illud drama, quod, quia unius argumenti actionem quandam verbis huic accomodatis describebat, fabulam dicebant, satira alterum, ludus, ut ita dicam, amoebaeus cum

7) Cf. Osann Anal. crit. p. 48. et Köpke dissert. de dramate Romanor. ante Vers. Germ. Plaut. Tom. I. p. XLIX. Schober. l. c. p. 6., quos, dum voces „post aliquot annos" ad consulatum C. Sulpicii Petici et C. Licinii Stolonis referunt, locus merito offendit, quippe cum inter illorum consulatum et Centonem Tuditanumque, quibus Coss. Livius primam fabulam docuerit, 513 a. U (Cicer. de senect. 14, 50. Gell. XVII, 21.) anni plus, quam centum interjaceant. Sed Livius mihi videtur, cum in illo loco tria potissimum tempora significet, unum, quo Etruscus saltandi modus Romam translatus est (390) alterum, quo ex isto Tusco more cum juvenum ludis conjuncto satira originem traxit, tertium denique, quo Graeca dramata Romae doceri coepta sunt, in definiendo tempore non ad Petici et Stolonis consulatum, sed ad satirarum originem respexisse, quas non ita multo ante, quam Livius Graecas fabulas docere coeperit, ortas esse, verisimile est.

cantu et saltatione conjunctus, sine arte quidem et fabula, tamen non sine sale et facetiis.

Fabularum argumento concinno admodum delectatos non mirandum est Romanos post paulo satiras parvi habuisse et elegantibus potius Graecorum dramatibus, historionumque artificiosae actioni, quam juvenum rudibus jocis et motibus operam et aures dedisse. Ne igitur omnino e scena pulsi, ludicris, quibus olim gaudebant, contemtis, ostentationis scenicae, quippe juvenili ingenio minime alienae, occasione privarentur, cavendum erat magnopere. Jam a peregrinis erat mutuandum, quia solummodo spectaculi novitate populum attentum fore sperare potuerunt, tamen hoc quoque videndum erat, ne ludi satirarum vice accepti a patriis moribus et vitae modo nimis recederent, cum, quominus alienis artibus juventus pollueretur, et leges et severiorum civium auctoritas prohiberent.

Itaque juvenes historionibus dramatum actionem relictis Atellanas fabulas a

vicinis Campanis petitas amplectebantur, iisque jocos et dicteria, quibus olim satira redundabat, immiscebant [8]). Talibus fa-

8) Livius VII, 2. „Juventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepit, quae inde exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt.“ Perperam in hujus loci explicatione Schober. l. c. p. 34. Scaligeri sententiam in notis ad Manilium sequitur, quasi exodia sive satirae adjectae fuissent Atellanis, cum Livius hoc velit: Ridicula ista versibus intexta, quae inter se more antiquo juvenes jactitabant, exodia (Nachspiele) postea appellata sunt, quia post fabulas ab histrionibus actas edebantur, istique joci, quibus olim satira constabat, tunc Atellanis conserti i. e. connexi, ad unum conjuncti (quae propria vocis significatio et in Ovidianos locos, quos citat, quadrat) non additi sunt, ut vult Schober. cf. Casaub. de poes. satyr. p. 182. ed. Bamb. Hanc ob causam factum, ut fabulae Atellanae eo, quod satirarum ingenium in se receperant, dicteriis et irrisione abundarent cf. Cic. de divin. II, 10. Suet. Tib. 45. Nerv. 39. Galb. 13. Tacit. Annal. IV, 14. Errat igitur, cum satiram Atellanae exodium dicit, quippe quae ipsa ad exodiorum genus referrebatur, quod clare probat locus, quem ipse citat e Cicer. ad fam. IX, 16. qui nos docet, post tragoediam doctam Atellanum fuisse introductum cf. Vales. in Ammian. Marc. XXVIII, c. 4. cui bene respondet id, quod Juven. Schol. in Sat. III, 175. dicit, huic adde

bellis sperabant, se Romanorum animos capturos esse et spectaculorum novitate, et eo, quod in Italia ipsa natae mores Romanis non ita dissimiles describebant, quibus-cum tanquam contra Graecos certare viderentur, se cum omnis, tum Graecae artis adversariis placituros recte censebant. Placuit enim rusticus ille nec inficetus jocandi modus, vel ipsa lingua, qua utebantur vulgi delectatam fuisse plebem non dubitamus 9). Ceteri, qui quia Graecos

locum Joh. Lydi de magistr. Rom. I, 40. Ἀτελλάνη δέ ἐστιν ἡ (κωμῳδία) τῶν λεγομένων ἐξοδιαρίων, cf. quae recte disputavit contra Scalig. Salmas. ad Vopisc. Aurel. XLII, p. m. 529. part. II. hist. Aug. scriptt. ed. Lugd. Bat. 1671. Casaub. de poes sat. II, 1. p. 184. seqq. cf. Schlegel, Ueber dram. Kunst u. Liter. Tom. II. p. 6. quem ex hac nostra sententia immerito reprehendit Schober. l. c. p. 12.

9) Recte dubitare mihi videtur Schober. l. c. p. 20. num Romani in fabulis Atellanis lingua Osca sint usi; nam quod nemo Latinorum scriptorum de hac re aliquid tradidit, jam satis est causae, quod rem in dubium vocemus; huc accedit, quod lingua Osca nimis a Latina recedebat, quam ut vulgus eam intelligere potuisset, ut bene probavit ex Oscis vocibus nobis servatis et e locis Livii X, 20. et Gell. XVII, 17. Addendus est ver-

eorumque artes ut inutiles et ad emolliendos et effeminandos Romanorum animos

---

sus ex Titinii comici fabula Quinta apud Festum s. v. Oscum p. 353. Gothofr.

Qui Osce et Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt.

Denique notandus est Varronis locus de ling. Lat. VI. p. 50. Gothofr.: „Cascus significat in Atellanis aliquot Pappum senem, quod Osci Casnar appellant," unde apparet, vel in nominibus Romanos notam sibi formam „Cascus" Oscae „Casnar" praetulisse. Jam quaeritur, unde Strabonis error natus sit, quippe qui V, 6. Oscorum dialectum in patrio quodam Romanorum dramate manere contendit, cum tamen Pomponii Noviique fragmenta, etsi prius vixerunt, Oscae linguae ne vestigium quidem contineant. — Vox Oscus, quae quoque Opscus sive Opicus scribitur, ut patet e Fest. s. v. Oscus p. 353. Gothofr. derivanda est a voce „Ops sive Opis," quae tellurem, terram, agrum, rus denotat Varr. de ling. Lat. IV, 12. Isid. Origg. XIV, 1. unde Opsci, Osci, Opici et terrigenae (αὐτόχθονες) et rustici. Videntur hae voces per se honestae apud vicinos in malam significationem abiisse, quia Osci ob corruptos mores male audiebant Fest. p. 353. Itaque Oscum sive Opicum significat et rusticum, inelegans, ineruditum, et turpe, immundum, infelix cf. Caton. apud Plin. hist. nat. XXXIX, 1. Gell. II, 21. XI, 16. XIII, 9. Aristid. Quinct. de Music. II, p. 72. ed. Meibom: „ἀναισθητοί εἰσι καὶ βοσκηματώδεις, ὡς οἵτε περὶ τὴν Ὀπικίαν καὶ Λευκανίαν;" inde obscenus (opscenus) auctior videlicet τοῦ opscus forma, quae significatione

idoneos contemnebant, multúm abfuerunt, ut hos juvenum ludos improbarent, ut eos omni modo adjuvarent, quippe spe freti, fore, ut Graecum drama e scena extruderent. Quare caverunt, ne histrionibus hi ludi polluerentur, et juvenes tales fabulas docentes ab omni nota liberos esse voluerunt, quibus etiam jus erat, non cogi in scena ponere personam, quod ceteris histrionibus pati erat necesse; cf. Fest. p. 364.

Atellanarum imitandarum alia omnino ratio fuit, quae fabularum Graecarum. Quantum enim scimus, non scriptae ex-

non differt, nam quod Varro de l. L. VI, 5. obscenus a scena vel σκαιός derivat, falsum esse, nemo non videt. Jam potuit dictio: osce loqui utrumque significare et Óscorum linguam loqui, ut apud Gell. XVII, 17. et Titin., et rustice inerudite, obscene, ut solebant in Atellanis; Juven. Satir. VI, 454.

Nec curanda viris Opicae castigat amicae Verba i. e. quae Osce., barbare, indocte loquitur cf. interpp. Recte igitur Erasmi in Adag. explicat: Osce loqui, turpiter, parúm pudice. Quae cum ita sint, facile fieri potuit, ut Strabo, quippe peregrinus, cum audiret, Atellanarios in ludicro Osco osce i. e. obscene loqui, de prisca Oscorum lingua cogitaret, dudum, ut videtur, oblita.

stabant et artificiose compositae Campanorum fabellae, quas Romam translatas aeque ac Graecas docere potuissent, sed materia inventa et personarum partibus constitutis, histrionis erat et verba et actiones addere. Erat enim hoc mimici generis proprium, quo et a Graeca et a nostra poesi maxime differt, quod quasi effinxerat certas personas ridiculis et jocosis, satis tamen destinctis moribus, quos e vita desumserat, praeditas, quibus et materia et verba adaptabantur; qua de re tota haec poesis ab hisce personis dependebat, quae semel constitutae et formam et materiam et verba definiebant. Ipsae, tanquam totius generis elementa, mutabantur nunquam, cetera, ut fabula, actio, sermo, actoris arbitrio erant permissa; itaque necesse erat, ut actor simul esset poeta, dum in fabulis Graecis poeta fabularum suarum actor esse solebat.

Quae quidem subita actio eo facilius fieri potuit, quia personarum certi et constituti mores et materiae finem et verborum copiam actori suppeditabant, nec non

vulgaris vitae accurata imitatio homini non-nullius quamvis indolis non difficilis altiora petere vetabat. Inde facile colligitur, Romanos a Campania nihil, nisi ridiculas istas personas, quas Oscas dicebant, petivisse [10]), quibuscum una et fabularum materia, et actio, et dicendi modus cohaerebat. Itaque, qui antea in satiris inter se, quopiam sub vero nomine partes agente, sunt jocati, tunc fictis personarum moribus et nominibus necessarie fictam quoque fabulam ostendebant. De fabulae argumento antea videlicet inter eos convenerat, verba tamen, ut olim in satiris, ludus ipse suppetebat.

Quali successu gavisi sint hi ludi, traditum nobis non est. Videntur enim palliatarum fabularum praestantia, qua tunc scena Romana insignis fuit, paululum obscuratae fuisse, quibus tamen ipsas nonnihil elegantiae et argumenti et actionis esse lucratas, tamen non sine aliquo proprii coloris detrimento, verisimile est. Huc

10) Cf. Diomed. III, p. 487. Putsch.

accedit, quod optimatum studium, cui omnia fere, quae nobis ex hoc tempore servata sunt, praeclara debemus, ad Graecas potius literas se inclinabat. Quoniam enim Romanorum artes, inprimis poesis, non ex ipso populo ortae, sed a peregrinis erant petitae, non potuerunt nisi fautoribus fultae, accrescere et florere. Scipiones, Laelius et alii, quorum quidem liberalitati et favori Romani Ennium, Caecilium, Terentium debebant, videntur tamen prae nimio Graecarum literarum studio ea, quae patria offerebat, imprudentius neglexisse, et Naevium et Catonem probamus, quorum alter exemplis ostenderat, qui posset Graecae non solum epicae speciei, sed dramaticae quoque domestica materia adaptari, alter et verbis et vita avitos mores a peregrinis defenderat. Utrique sine dubio debebant Romani et poeseos et eloquentiae eum statum, qui post secutus est, insignem, illo, qui antecesserat, ut videtur, multo praestantiorem, et si animum spectas, quem tunc opera spirabant, proprium vel Augusteae aetati

maxime praeferendum. Cum tamen integri nihil, si unum Lucretium exceperis, ex hoc tempore nobis sit servatum, e veterum tantummodo traditione et scriptorum, qui tunc florebant, rumore judicare licet, artis quae fuerit conditio, quantaque praestantia. Cujus vero temporis descriptio digna omnino, quae omni diligentia exhibeatur, si quidem aliena est a nostro argumento, sat erit, ea, quae modo in universum de tota poesi contendimus, prae ceteris de dramatica dicta esse probare.

Videntur enim dramatum scriptores in componendis fabulis Naevium inprimis secuti esse eo, quod servilem istam Graecorum imitationem respuebant, quippe qui patriam quoque materiam tractandam sibi elegerunt, non solum in tragoediis, ut Accius, qui Brutum composuerat, sed in comoediis quoque, quarum unam speciem togatarum tunc prae ceteris in populi deliciis fuisse auctorum praestantissimorum nomina Attae, Titinii, Trabeae, Dosseni, Afranii, Melissi, aliorum demonstrant.

Inter cujus rei causas primarias tem-

pus ipsum referendum esse censeo. Victis enim Carthaginiensibus et Graecis Romam nulla alia civitas et potentia et divitiis superabat; urbs potentissimorum hostium victrix, civium virtute et aequis legibus pollens, omnium artium nutrix et servatrix non potuit non a civibus celebrari, a peregrinis timeri. Cujus praestantiae admirationi Romani omnia fere, quae exinde et acta et scripta sunt, egregie debebant. De ceteris quidem tacemus, qualem vero hic patriae amor in excolendam poesin dramaticam effectum habuerit, paucis ostendamus.

Intellexerant jam antea Naevius et Ennius, Romanorum res gestas, quippe facinorum memoratu dignorum abundantes epicorum poematum idoneam materiam praebere, quorum alter bellum Punicum, alter Annales non sine Romanorum applausu composuerat. Naevius adeo jam materia e vita desumta ad comoedias componendas usus est, sed in hac re imprudentius egisse videtur, quod Graecorum priscae comoediae modum Romam transferre est

conatus. Erat enim Romanorum reipublicae longe alia ratio, quae Atheniensium, cujus imperium post multos et saevos tumultus inter nobiles et plebem aeque erat divisum. Quae aequalitas, quippe omnium, quaecunque Romani egregie gesserunt, causa, a bono cive ne joco quidem sine damno laedi poterat. Adde, quod tempora ipsa optimatum dignitatem augere potius, quam joco et risu diminuere suadebant, quippe qui soli rempublicam a saevissimis hostibus defenderant, eorumque impetum auctoritate sua arcebant. Nec populo ipsi talis ludus placere poterat, parum scilicet culto, quam qui infrenatam priscae comoediae licentiam diutius ferre potuisset, cum vel inter Graecos praeter Athenienses nulla alia civitas, iique solummodo eo tempore, quo et ars et vita publica maxime florebat perbrevi, hac poesi gaudere valuissent.

Itaque quanto aptius posteri domesticam materiam recentioris comoediae formae adaptabant ab omni invidia prorsus

alienae, et quia haec poeseos species mimico generi simillima erat, Romanorum sensibus maxime idoneae. Quare notio illa urbanitatis, quae tunc et Marte secundo, quo usa est respublica, et Graecarum artium cognitione, quae Romanis jam antea contigerat, orta est, in fabulis togatis tum potissimum florentibus dilucide apparet, et certat quasi contra Graecum morem. Sed haec eadem urbanitatis notio effecit, ut mores urbani sensim sensimque procul recederent a rusticis, cum olim ob eximium agrorum studium, quod Romanorum vel nobilissimis proprium erat, fere nihilo abirent. Jam antea eo, quod Romani Graecos scribendo imitari inceperant, lingua urbana nasci et excoli coepta est, rustica ruri et plebi relicta, et ut in vita lingua moresque, ita necesse erat in scena fabulae in duas partes abirent rusticorum et urbanorum. Qua de re tunc in scena tria comoediarum genera vigebant, palliatarum, togatarum, Atellanarum, quorum unum peregrinorum, inprimis Graecorum, alterum urbanorum, tertium rusti-

corum humiliumque hominum mores describebat.

Sequitur inde, et ex omnibus, quae hucusque disputavimus, quam male faciat Schober l. c. p. 13., qui eo, quod Atellana cum dramate satyrico comparetur, ejus notionem optime erui posse censet. Longe enim alia horum poeseos generum ratio est, et quod jam veteres Grammatici ea inter se compararunt, non tam interna quadam similitudine, quam externa, quae casui potius debetur, factum esse apparet. Quam parum sani et accurati fuerint tales homines in comparandis poeseos generibus, vides ex ipso illo loco, quem citat e Diomed. III. p. 487.; qui togatas palliatis, praetextatas tragoediis, tabernarias comoediis, Atellanas satyricis, planipedia mimis parum, ut liquet, considerate opponit, et quam male ipsi cognoverint hanc Graecam poeseos speciem non tam propria, ut debuissent, lectione, quam aliorum testimoniis, exemplum est Marius Victor. de jamb. metr. II. p. 2527. Putsch.[11]) —

---

11) „Haec apud Graecos metri species frequens est,

Verum quidem est, in his rebus sibi utrumque genus fuisse simile, quod post tragoedias edi solebat; quod certis quibusdam personis usum est [12]; quod ceteris dramatibus erat brevius [13]; quod jocis redundabat, licet et ipso joci generi differret; quod rure natum erat; quod nomen denique quandam similitudinem praebebat, cum Atellanae et satirae (dramaticae) nonnunquam confunderentur [14].

sub hac conditionis lege, ut non heroas aut reges, sed Satyros inducat ludendi jocandique caussa, quo spectatoris animus inter tristes res tragicus relaxetur, quod Horat. his versibus testatur (Epist. II, 3, 220 — 224.), quod genus nostri in Atellanis habent."

12) Cf. Diomed. l. c. „Latina Atellana a Graeca satyrica differt, quod in satyrica fere Satyrorum personae inducuntur, aut si quae sunt ridiculae similes Satyris Autolicus, Burris; in Atellana Oscae personae, ut Maccus." Quamquam in dramate satyrico non tam personae non mutabantur, quam chorus; unde illud fere in Diomedis loco explicandum est, quod multos offendit, ac si satyrica dramata exstitissent Satyris carentia, quod omnino fieri potuit, si a choro respexeris.

13) De Atellanis cf. Ascon. ad Cicer. de divin. II, 10.

14) Cf. Athen. VI, 7. qui Atellanas σατυρικὰς κωμῳδίας dicit.

Atellanarios vero etiam trimetrum jambicum satyricum imitatos esse, perperam concludit Schober l. c. p. 41. e Marii Victor. l. c. Voces enim: „quod genus nostri in Atellanis habent" non referendae sunt ad metri, sed ad poeseos satyricae speciem, quam videlicet cum Atellana comparat, ut Diomed. et alii; et quae sequuntur: „gaudent autem sc. trimetri satyrici trisyllabo pede et maxime tribracho" de Graecis versibus solummodo dicta esse, monent antecedentia: „haec apud Graecos metri species frequens est." Nam proprius et liberior jamborum componendorum modus, quo usi sunt veterum Romanorum et tragici et comici, et quem secuti etiam Atellanarum poetae sunt, ut patet e fragmentis, hoc tragicorum, satyricorum et comicorum versuum discrimen plane tollit; spondeum scilicet, anapaestum et dactylum sine ullo dramaticae speciei discrimine sibi permittebant. Neque debuit Schober l. c. p. 42. Pappi personam cum Sileno comparare, quippe cui πάππου cognomen fuisse commemorat Jul. Pollux in

Onomastico. Uterque quidem ob senectutem nomen illud duxerat, quapropter Pappus etiam Cascus dicebatur[15]; sed si hoc unum exceperis, nihil inter eos simile invenitur; nam ut omne Atellanum genus, ita personae quoque mythici ne vestigium quidem continent, sed omnes sunt e vita vulgari desumtae, quod de Pappo clare probat fabulae Pomponianae titulus apud Non. p. 468, 7. ed. Sedan.: Pappus praeteritus sc. in eligendo magistratu, et Novianae ejusdem tituli fragmentum in Pappum videlicet a filio dictum apud Non. p. 4, 29.

dum istos invitabis suffrogatores, pater,
Prius in capulo, quam in curuli sella suspendes nates.

Jam vero si ab his, quae supra recensuimus, similibus, quippe levioris momenti, recesseris, inter se sunt haec genera dissimillima, nisi forte quis velit Eichstädtium (de dramate Graecorum comico-satyrico Lips. 1793.) sequens Atellanas

15) Cf. Varron. de ling. Lat. VI, p. 50. Gothofr.

cum dramate comico-satyrico comparare, de quo commento genere vide, quae docte contra Eichstädtium disputavit Hermannus in Commentariis societatis philol. Lips. Tom. I. part. II. p. 247. sqq. Nemo enim unquam drama satyricum comoediam dixit, etsi jocis abundat, cum potius ad tragoediarum genus sit referendum[16]), eo tamen discrimine, quod tragoediae ex omnibus deorum heroumque fabulis materiam capere licebat, satyrico dramati contra Bacchi solummodo fabulae, et quae erant similes, patebant; unde risum et jocum, incolumi tamen tragica gravitate, fluxisse scimus[17]). Satyri mores quidem agrestes ostendebant, non tamen rusticos, et humiles, ceteraeque personae in tragoediis quoque obviae, eo discernebantur, quod minus tristi fato tenebantur, et hilariori Satyrorum consuetudine gaudebant. Ho-

16) Hermann. l. l. et de compos. tetralogg. tragicarum, Lips. 1819.; Pinzgeri libell. de dramat satyr. origine; Schlegel über dramatische Kunst u. Lit. Th. 1. S. 264.

17) Horat. Epist. II, 3, 222.

rum nihil in Atellana, cujus erat rus de- scribere inter vulgaris vitae fines, quapropter jure ad comoediarum genus refertur; personae mere rusticae et humiles nunquam, quantum scimus, deorum heroumque partes agebant 18). Distat igitur utrumque genus, ut omnino Italica poesis a Graeca; si qua tamen opus est comparatione, nullum aliud genus Atellano similius nobis fuisse videtur, quam mimus, qualem Sophron composuerat, de quo supra disputavimus.

Itaque improbo Schoberi sententiam p. 49: Horatium Epist. II, 3, 244—250. de Atellana rectius componenda, Faunis pro Oscis personis adhibitis, agere; non solum propterea, quod dubito, num unquam sive Ennius, sive Horatius, sive quis alius rusticos homines Faunos dixerit 19), sed

18) De Agamemnone supposito et Atreo Pomponii vid. infra.

19) De Faunis in illo Ennii versu, quem citat Schober. Saturninos versus canentibus cf. Fest. p. 200.: „versus quoque, antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur.“

quod Horatius omnino totum mimicum genus improbare videtur, ut sermoni propius, eoque minus poeticum, cum vel Laberii mimis ab auctoribus non contemnendis laudatis [20]) pulchrorum carminum laudem deneget [21]). Equidem censeo, Horatium, quomodo drama satyricum recte institueretur, ostendisse; ut Romanis hujus dramatis imitationem pro mimis et Atellanis commendaret, qui ludi tunc contrario malo laborabant. Mimi enim tenero quodam et molli sermone, quo juvenes comti et mulierculae uti solebant, redundabant, et nimis forum urbemque redolebant; Atellanae contra immundis et ignominiosis dictis horrebant, quibus plebs (fricti ciceris et nucis emtor), ut facile intelligitur, gaudebat; viro contra erudito, qui Graecae poeseos dulcedinem degustaverat, tales ludi nullo modo placere poterant, et prudens drama satyricum laudat Horatius, quippe quod mira quadam gravitatis

20) Gell. XVI, 7. Macrob. II, 7. Cicer. ad famil. XII, 18. cf. Valck. ad Theocr. Adon. p. 207.

21) Sat. I, 10, 6. ubi vid. Heind. cf. Sat. I, 4, 43.

et joci temperantia ad capiendas et eruditorum et plebis aures sane maxime erat idoneum. Faunos sylvis deducendos suadet, quippe plebi Satyris familiariores, ut videlicet patrii dii in scenam deducti proprii Atellani dramatis damnum quodammodo resarcirent.

Jam inter illa tria genera, quae, ut diximus, in scena florebant, palliatae fabulae jam ante hoc tempus summum fastigium adeptae in pejus verti inceperant, quia videlicet fautoribus, quibus olim gavisae sunt, tunc carebant; togatae vero a populo ipso fovebantur, quia notos mores eleganti Graecorum dictione et sale describebant[22]), nec jam non potuerunt

22) Constat hoc inprimis de Afranio togatarum scriptorum facile principe e loco Macrob. Tom. II, p. 152. ed. Bipont.: „Afranius togatarum scriptor in ea togata, quae Compitalia inscribitur, non inverecunde respondet arguentibus, quod plura sumsisset a Menandro:

Sumsi, inquit, fateor, ab illo non solo modo,
Sed ut quisque habuit, conveniret, quod mihi,
Quodque me non posse melius facere credidi,
Etiam a Latino."

Cf. Horat. Epist. II, 1, 57.: „Dicitur Afrani toga convenisse Menandro."

Atellani ludi eo tempore, quo Romanorum animus suo potissimum studebat, non sine prudenti ejus, quod peregrini egregie suppeditabant, usu, a fautcribus adjuvari, a poetis excoli, et a populo adamari.

Excellit inter hujus generis fautores prae ceteris L. Sullae dictatoris nomen, quem Nicolaus apud Athen. VI, 7. ita mimis et scurris gavisum esse dicit, ut iis publicos agros donaverit, et ipse patria lingua σατυρικὰς κωμῳδίας (fabulas Atellanas) scripserit[23]. Quare non mirandum

23) Recte Casaub. de poes. satyr. II, 4, p. 243. et G. J. Voss Inst. poet. II, 35, p. 168. sub σατυρικαῖς κωμῳδίαις Atellanas fabulas intelligunt, saturicae dictas, quia satiram, qualis olim erat, dramaticam in se receperant; adeo satiram ipsam dramaticam amplecti videtur Athen. his verbis; nam Pomponium eodem tempore satiram scripsisse, discimus e Prisc. VI, p. 679. Putsch. cf. Casaub. de satyr. poes. II, p. 195.; etiam Novii poema de Mortis et Vitae judicio apud Non. p. 479, 8. satira fuisse videtur, in qua Ennium imitatus sit, quem Mortem ac Vitam in satira contendentes finxisse tradit Quinct. Inst. orat. IX, 2. Schoberi sententia, qui l. c. p. 48. Sullam satyricorum dramatum poetam facit, jam eo labitur, quod, quantum ego scio, satyrica dramata unquam neque comoediae sunt dicta, neque iis adnumerata.

est, exstitisse quoque, qui Atellanis, quae ad hoc usque tempus incultae jacebant, artificiose tractandis operam suam navarent, et L. Pomponium eum fuisse, qui primus tales fabulas literis mandaverit, Vellei Paterculi locus quidam, ut mihi videtur, satis superque probat, dummodo eum ad nostrum poetam referamus, nec habemus, de quo alio tale dictum conjiciamus. Sed priusquam de hac re fusius disputemus, ea, quae de Pomponio ipso habemus, paucis exponere, in animo est.

L. Pomponius Bononiensis Sullano tempore vixit, floruisse eum dicit Euseb. Olymp. 172. (662. a. U.) 24). De viri vita nihil nobis traditum est. Erant, qui eum cum oratore Cn. Pomponio commutarent, quem saepius citat Cicero 25), qui quidem eodem tempore vel paulo ante vixit, nihil tamen cum nostro commune habuisse videtur. Omnino quoque discernendus est P. Pomponius Secundus, vir consularis et poeta

24) Euseb. Olymp. CLXXII. L. Pomponius Bononiensis Atellanarum scriptor clarus habetur.

25) Brut. c. 49, 57, 60, 62. de orat. III, 13.

tragicus sub Cabigula et Claudio, cujus vitam descripserat Plinius major[26]).

Laudatur inprimis noster ob Atella-

26) Cf. Plin. Epist. III, 5. Quinct. Inst. VIII, 3, 31, X, 1, 98. Charis. I, p. 107. qui ex ejus fabula Coena fragmentum exhibet. Alia ejusdem videlicet Pomponii fragmenta legimus apud Terent. Maur. p. 2430. et Mar. Victor. Art. Gramm. III, p. 2164.:

Tale dedit nobis Pomponius:
Pendeat ex humeris dulcis chelys,
Et numeros edat varios, quibus
Adsonet omne virens late nemus.

et apud Terent. Maur. p. 2426. et Mar. Vict. III, p. 2578.

Inserit hoc aeque Pomponius in choricis sic:
Rhoeteis procul a terris. Mox dispare versu
Subjecto: Priamique aras damnare pias; tum:
Obrue nos, Danaosque simul.

Fabulam Atreus, e qua Non. p. 144, 22. fragmentum citat:

. . . . nunc te obsecro,
Stirpem ut evolvas, meorumque genus notifices mihi.

potius hujus, quam nostri fuisse conjicio. Vestigium enim nullum invenimus, Pomponium tragoedias quoque composuisse; nam Agamemnonem suppositum, quem citat Non. p. 473, 3. neque titulus, neque fragmentum ex eo servatum tragoediam prodit. — De C. Pomponio libertino et mimo, qui Cn. Fulvio Centumalo et P. Sulpicio Galba Coss. vixit (543. a. U.) cf. Fest. p. 201.

nas fabulas[27]), quarum circa sexaginta titulos novimus, unde colligitur, quam fecundo fuerit ingenio. Prae ceteris tamen observandus est locus Velleji II, 9, 5.[28]), in quo L. quidam Pomponius, qui Sisennae tempore vixit, sensibus celeber, verbis rudis, ob novum a se inventum opus commendatur. In eo quidem plurimi viri docti consentiunt, Vellejum L. Pomponium Atellanarum poetam significasse[29]); nihilominus tamen dubitant non pauci, mire sane, eum Atellanarum artificiosae compositionis

27) Gell. XII, 10. X, 24. XVIII, 6.; Macrob. Saturn. Tom. I, p. 240 ed. Bipont. II, p. 196. (Pomponius egregius Atellanarum scriptor) II, p. 177.; Euseb. l. l.; Varro de ling. Lat. VI, p. 72. ed Popma.; Senec. epist. 3.; Fest.; Non.; Charis.; Prisc.

28) „Sane non ignoremus, eadem aetate fuisse L. Pomponium sensibus celebrem, verbis rudem, et novitate inventi a se operis commendabilem.“

29) „Falluntur vehementer, qui putant, a Vellejo Pomponium ferri inter historicos, quia historicorum nomina sunt, quae praecessere. Nam alius est scopus Vellejo, qui temporum potius, quam studiorum spectat similitudinem, ut manifestum ex eo, quod dicat: „„Novitate invenii a se operis commendabilem,““ ubi Atellanas eum intelligere, clarum est.“ Voss ad Vellej. l. c.

primum auctorem habere [30]). Opponunt enim diserto Velleji testimonio dubiam Macrobii auctoritatem, qui duobus locis [31]) Novium, alterum istum Atellanarum scriptorem, Pomponii nomini praeponit, unde colligunt, Novium ante Pomponium vixisse, et fabulas Atellanas docuisse. Quae argumentatio quam debilis sit et incerta, nemo non videt.

Possumus enim eodem jure, quo e verborum collocatione Novium ante Pomponium vixisse contendunt, utrumque aequalem fuisse, conjicere, et jam quaeritur, uter in scribendis Atellanis prior fuerit. Qui illud e nominum ordine eruere velint, caveant, ne inconsiderate agant, quia scilicet argutari est, e viri nomine ante col-

30) E. g. Petr. Crinit de poet. I, cap. ult.; Lil. Greg. Gyrald. hist. poet. dial. VIII, 307.; G. J. Voss de veter. poet. temp. II, p. 14.; Popma ad Vellej. l. c. Schob. p. 59.

31) Macrob. Sat. Tom. I, p. 240. Bip. „Novius enim, probatissimus Atellanarum scriptor ait: Olim ... C. Memmius quoque, qui post Novium et Pomponium diu jacentem artem Atellaniam suscitavit." id. I, p. 332. „Novius vero Pomponiusque jocos non raro dicta nominant."

locato concludere, eum in scribendo fuisse priorem.' Immo possumus in altero illo loco, qui ad sententiam, quam protulit, maxime facere videtur Schobero, causam ipsam afferre, cur Novii nomen praeposuerit Macrobius, quippe qui paulo ante de Novio locutus est, cujus nomen, adhucdum in memoria haerens, priorem locum obtinere, facile est explicatu.

Jam nostrae sententiae favet, quod supra ostendimus de prospero patriae poeseos successu, quo Sullana aetate Romani gavisi sunt, quod si conferimus cum Vellejana Pomponii inventi operis laude, et Eusebii testimonio qualicunque, qui neque Novium, quem si non celebriorem, tamen aeque bonum scriptorem habemus, neque alium recenset, nisi nostrum, inventorem videlicet Atellaniae artis, nihil nos impedit, quominus Pomponium primum hujus poeseos auctorem habeamus, quem Novium demum et ipsum Sullam in scribendis Atellanis secutos esse, non dubitamus.

Neque propterea Novium seriori tempore vixisse dixerim, cum id ipsum, quod

saepius cum Pomponio una nominatur, et verborum et dictionis similitudo, eum aequalem fuisse probet. Petierat enim uterque linguam, qua usus est in Atellanis, maxima ex parte e plebe, qualis tunc erat, non ut Memmius, qui, quia multo post vixit, verba non e vita, sed e libris hausisse videtur, quare jure auctoritatem ejus dubiam dicit Non. p. 194, 31.[32])

32) De Memmii, sive, ut in Prisc. X, 910. et Charis. inst. gramm. I, p. 118. Putsch legitur, Mummii aetate, praeter Macrob l. c.: „Memmius quoque, qui post Novium et Pomponium diu jacentem artem Atellaniam suscitavit," nihil nobis traditum est. Conjicio, eum sub Tiberio vixisse. Cum enim sub Caesare mimi, sub Augusto pantomimi in scena vigerent, Atellanae, quibus nullus erat locus, post Pomponium et Novium jacebant; sub Tiberio tamen videntur iterum suscitatae fuisse, quippe qui ipse Atellanico exodio quondam fuerat notatus, Suet. Tiber. c. 45., qua de causa apud senatum de immodestia histrionum retulit: „Oscum quondam ludicrum levissimae apud vulgum delectationis eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate patrum sit coercendum; pulsi tum histriones Italia." Tacit. Annal. IV, 14. — Ceterum versus, quos citat Macrob. l. l. e Memmio, sic legendi sunt:

Nostri majores, véluti bene multa instituere, hoc óptime;
A frígore summo fécere dies séptem Saturnália.

Huic adde, quod Pomponianum Atellanae genus non ita diu in scena florebat; nam Caesaris inprimis favore mimos fabulas Atellanas e scena detrusisse, verisimile fit ex illo Ciceronis loco ad Famil. IX, 16., ubi cf. interpp. et Macrob. I, p. 240. Qua de re non credendum est, tunc aliquem scribendis Atellanis tantam operam dedisse, quantam Novium impendisse scimus.

Itaque his ita constitutis omnia bene se habent, cum contra haud exigua difficultas alteram istam sententiam sequentibus exoriatur, quale tandem illud novum Pomponii opus fuisse dicant.

Jam Schoberus, ipse dubius, quomodo certam Velleji sententiam de novo Pomponii opere invento explicet, cum novitatem istam ad imitationem dramatis satyrici referre studeat [33]), ipse videt, neminem imitatorem novi operis inventorem posse dicere. Conjicit itaque, eum primum fuisse, qui materiam, quam in tabernariis tractare solerent, sub Atellaniam

33) L. c. p. 42. sq.

formam redegerit, quo referendos putat Piscatores, Fullones, Pistorem, quos composuisse Pomponium nos doceat Non. Marcellus. Qualis vero Atellania illa forma fuerit, non dixit; immo fabulas Atellanas, quales tunc erant, non ita forma, quam materia fuisse diversas, certum est; nam id ipsum erat Pomponiani novi operis, quod Atellaniam formam mere Italicam, tunc togatis et palliatis similiorem reddidit eo, quod metris Graecorum in componendis fabulis usus est, ut ipse probat l. c. p. 41., neque verbis, si exceperis, quod ruri et plebi debebat, a ceteris abiisse eum, satis demonstrant fragmenta. Discernebantur itaque sola materia, quae in palliatis Graeciam, in togatis urbem, in Atellanis rus et municipia describebat; quare facile Atellana eodem nomine inscripta esse potuit, quo togata, quae tunc materia discernebantur, quae in iis tractabatur, et loco, quo actio erat trahenda.

Adde, quod Novius quoque, quem tamen prius vixisse dicit, similia composuerat[34]),

34) Novii Fullones sive Fullones feriatos citat Non.

neque Novium tabernariarum scriptorem fuisse probavit. Pomponium contra, quem veteres solummodo Atellanarum poetam dicere contendit, fabulas togatas quoque scripsisse e Scholiastae veter. Horat. Cruqu. p. 632. ed. 1611. certo testimonio scimus[35].

Conjecturam denique postremam l. c. p. 44. ipse refutat Vellejus. Contendit enim Schoberus e titulis duarum fabularum, Pomponium primum varias dialectos fabulis immiscuisse; cui tamen sententiae neque veterum testimonia, neque fragmenta, neque omnino talium fabularum, quas mixtae dialecti habet, copia favent, et qui potuisset Vellejus Pomponium ob rudia verba vituperare, si verbis ipsis inventio fuisset commendabilis?

---

p. 81, 22. p. 221, 3. p 233, 19. et Tertull. de pallio c. 4. p. 4. ed. Commel.: „Sed et pugil Cleomachus — inter cutem caesus et ultra fullones jam Novianos coronandus" cf. interpp. Pomponii Decumae sive Decuma fullonis similis fuisse videtur Novii Decumae apud Non. p. 37, 22. p. 170, 8. p. 374, 31. p. 109, 19.

35) „Praetextatas et togatas scripserunt Aelius Lamia, Antonius Rufus, Cn. Melissus, Afranius, Africanus, Pomponius." — Africani nomen, ortum videlicet ex antecedenti Afranio, ab hoc togatarum scriptorum ordine removendum censeo.

Jam vero quaerenti, quae fuerit Pomponianae fabulae conditio et proprietas, cum eam Vellejus novum inventum dicat, facile persuadebitur, eam multo recessisse ab Atellanis, quales antea ederentur. Exstabant enim, ut supra vidimus, neque scriptae fabulae Atellanae, neque Atellanarum poetae; fiebant subito ab actoribus ipsis coram populo spectanti. Pomponius demum ausus est primus Atellanas componere, et ob hanc ipsam rem totius generis inventor et auctor celebrabatur. Ne tamen quis hoc miretur ut inauditum, comparet Horat. Satir. I, 10, 47.[36]), qui Lucilium Satirae inventorem dicit, quamquam jam ante eum Ennius et Pacuvius satiras scripserant, quia videlicet satiram, quae ante erat dramaticae speciei, in didacticam converterat; adde locum ex eadem satira v. 66., in quo Ennium (ut alii volunt eundem Lucilium cf. Heindorf ad h. l.) Graecis intacti carminis auctorem

36) „Melius quod scribere possem Inventore minor," cf. Aeron. ad Sat. I, 1. init. „Satirum carmen a primo omnium auctore Lucilio repertum est."

dicit, cum tamen e Livio VII, 2 pateat, jam ante Ennium satiras exstitisse, quas quidem primus scriptas composuit. Quibus si inventi operis laudem non denegamus, quid Pomponio invideamus, qui Atellanis novam omnino formam dederat?

Antea enim subita actio a mimico genere distrahi minime posse videbatur, neque cuiquam in mentem venerat, mimos partes docere. Ea scilicet mimorum erat ars et praestantia, quod ex tempore actiones edebant, neque tam fabula bene inventa et verbis exquisitis, quam infrenata libertate et inveniendi et dicendi delectabant. Ob hanc ipsam causam Sophronis mimi lectori potius, quam actori erant scripti, et Epicharmi bucolica dramata eo, quod vitae vulgaris fines excedebant, jam non in mimorum censum veniebant. Itaque plane novum et inauditum opus illud Pomponii apparet, qui primus Atellanios mimos et composuit et docuit.

Dubitamus nos quidem, num hac mutatione mimicam poesin in universum ad-

juverit, cum jam mimus non ipsam vitam, sed poetam vitam describentem imitaretur; Atellanam vero hac ipsa re servasse eum posteris, certum est. Nam dudum Oscae illae personae, Campanique mores, quos primi Atellanarii ostenderant, tempore labente erant exstincti et emortui, de quibus igitur actores, cum e consuetudine decessos imitari aegre possent, a poetis quasi docerentur, erat necesse. Itaque annis ipsis Atellanae, quae antea sola imitatione fiebant, in artem erant mutatae, nec jam absona erat artificiosa compositio, quam olim merito respuerant.

Iam cum scriptas ederet Pomponius, non solum fabularum nexui et morum accuratae descriptioni, sed verbis quoque et tali generi apto sermoni opera danda erat necessaria. Id quidem judicare non valemus, qualis fuerit noster in fabulis aut inveniendis aut in materia jam inventa denuo tractanda; neque magis id certum est, an in describendis personarum moribus laudem meruerit, li-

cet sensuum illa celebritas, quam Vellejus in Pomponio laudat, huc sit referenda. Totum enim mimicum genus solebant sententiis ad vitam utilibus exornare, idque in Atellanis, ut mimorum specie, quoque factum esse, probant et fragmenta 37), et glossa, quae Atellanas *βιολόγους* dicit 38). Lingua tamen quae fuerit, satis ostendunt fragmenta, quae docent, eum vulgari quodam sermone vetustatis colore tincto plebem prudenter

37) E. g. apud Non. p. 246, 15.

Atque auscultare disce, si nescis loqui;

apud eund. p. 164, 27.

Longe ab urbe villicarier, quo herus rarenter venit,
Non villicarier, sed dominari est mea sententia;

ap. Senec. Epist. III.

Quidam adeo in latebras refugere, ut putent in turbido
Esse, quidquid in luce est.

Saepe eo risum augebant, quod rem tritam in sententiae modum jocose proferebant; e. g.

Si praegnans non es, paribis nunquam.

38) cf. Salmas. ad Vopisc. Aurel. c. XLII. Huc referenda est vetusta illa Atellanarum elegantia, de qua loquitur Donat. in Fragm. de comoed. et tragoed., et hujus generis Italica severitas laudata a Valer. Maxim. II., 4.

esse imitatum, ita quidem, ut rusticum illum et hiulcum dicendi modum, qui oris vastitate eruditorum aures nimis offendebat, urbanitate mitigaret, non omnino tamen demto, quod rus significaret. Ita factum est, ut verborum ruditatem Vellejus notaret, in tali videlicet materia minime vitiosam. .

Quid? quod metra quoque Graecorum, quibus primus in tali ludo usus esse videtur, majorem verborum curam postularent, cum antea Saturninis versibus, aut si qui erant similes, ob subitam actionem juvenes esse jocatos verisimile est? quid? quod et ceteras fabularum partes, actionem, modos, in palliatarum potius morem componebat, jubente videlicet metrorum lege et Graecarum fabularum praestantia, quam si non superare, tamen attingere studebat? quid? quod rusticis jocis fellie satira immixto temperabat, coactus fortasse dictatoris potestate, et quae antea palam dicta sunt, tunc εἰρωνεία celabat? quod denique materiam, quam quidem ex Atellanis, qua-

les antea erant, petierat, augebat et amplificabat?

Nimis enim arctis finibus veterum Atellanarum materia erat circumscripta, quia scilicet Oscae personae, rure natae nonnisi Campanos mores et rusticas actiones admittebant. Eo vero, quod Pomponius omnium Italarum gentium mores Atellanis idoneos habebat, nec ruris solum sed municipiorum et oppidulorum ridicula salse describebat; novitate juvabat, varietate delectabat. Quae diximus satis probant fragmenta. In Maccis, Maccis geminis, Macco milite, Macco sequestre, Buccone auctorato et adoptato veteres Atellanas est imitatus; in Gallis Transalpinis abiisse eum ab Oscis moribus apparet, similiter Novium in militibus Pometinensibus apud Non. p. 25, 11. p. 212, 20, p. 224, 27; in Pappo praeterito senem descripsisse videtur, qui in municipio munus ambiens repulsam tulit; simile quid in Cretula et Novius in Pappo praeterito apud Non. p. 4, 29. In Aedituo quoque, in Pictoribus, in Prae-

cone, in Haerede petitore, in Munda, in Augure actio in oppido potius, quum ruri fuisse putanda est.

Quare, cum haec ita sint, quae harum fabularum togata fuerit, quae Atellana, nos nunc discernere plane non possumus, id modo certum est, fabulam togatam normam fuisse, ad quam Pomponius novum illud Atellanarum genus effinxerat, satirae rudi elemento deposito, quod prisca Atellana in se receperat. Ita ex utroque genere mixtus mimus Romanus qui dicitur enascebatur, qui quidem ab Oscis personis abstinebat, neque rus urbi opponebat, Italicis tamen moribus describendis et jocorum modo, ipsoque fabularum argumento originem suam satis ostendit.

Redeo ab Pomponium. Praeter Atellanas et togatas eum palliatas quoque scripsisse, nisi tituli fallunt, pro certo habendum est. Citat enim Non. p. 96. 17. Adelphos, et p. 246, 15. Asinariam; Charisius I, p. 108. Synephebos. Satiram quoque laudat Prisc. VI, p. 679, et Epi-

gramma Varro de l. L. VI et Prisc. III, p. 602.

Restat jam, ut aliquid de Agamemnone supposito addamus, quem citat Non. p. 473, 3. Quaeritur, ad quod dramatum genus referenda sit fabula? Tragoediam eam non esse apparet e titulo ipso et fragmento parum tragico:

Ne quis miraretur, cum tam clare tonuerit,
Ut, si quis dormitaret, expergisceret;

neque magis comoediam eam haberem ob titulum, qui mythicam materiam tractatam probat; Atellanam eam nemo dicet, qui hujus generis modum cognoverit, omnem scilicet materiam a Graecis fabulis petitam respuentem; contra drama satyricum fragmentum mihi facere videtur, quippe quod id genus facetiarum, quod nostrates Travestie dicunt, redolet, alienum prorsus a dramate satyrico, quod risum quidem et jocos fabulis immiscet, non tamen fabulas ipsas risui exponit. Quae cum ita se habeant, haec fabella

ad nullum aliud genus referenda est, nisi ad rhinthonicum, cujus erat mythicam et tragicam materiam certa quadam ridicula conversione jocosam reddere, quapropter hilarotragoedia quoque audiebat, sive tragicomoedia, qualis est Plauti Amphitruo [39].

Haec sunt, quae de Pomponio ipso habemus. Secuti eum esse videntur multi alii in scribendis Atellanis. Ut de Novio taceam, de quo alio tempore agere constitui, notandum est, togatarum scriptores prae ceteris hoc cognatum dramaticae poeseos genus esse amplexos, quorum principem Afranium in Buccone adoptato Pomponii fabulam eodem nomine inscriptam esse imitatum, non video, quid dubitemus contendere. Titinium quoque togatarum scriptorem Atellanas composuisse probat non solum fabulae titulus: Fullones, sed sententiae quoque ex hac fabula nobis servatae. E cujus fabulae fragmentis ad

39) Cf. Suidam s. v. Ῥίνθων, Donat. ad Terent. Adelph. v. 7.

finem libelli subjectis, etsi sunt exigua, agnosces tamen elegantiam quandam a togatis non alienam, qua insigniter differunt a Pomponii reliquiis rudibus verbis rus optime exprimentis.

L. Pomponii Bononiensis fragmenta.

Adelphi apud Non. Marc. 1) datatim p. 96, 17 ed. Sed.

---

1) Usus sum: Non. Marc. de proprietate sermonis — ope vetustissimorum codd. et industria Hadr. Junii — Antverp. ex officina Christ. Plantini 1565, 8. — Non. Marcell. de propr. serm. Paris. apud Aeg. Beys 1583 et Paris. 1586 (cum notis Gothofredi) — Nonii Marc. nov. edit. additus est libellus Fulgentii de prisco sermone et notae (Jos. Merceri) in Non. et Fulg. Sedani sumpti. Hadr. Perier 1614, 8. — Hanc Sedanensem editionem eandem esse ac Parisiensem ejusdem anni a Mercero curatam, apparet e Fabricii Bibl. Lat. Tom. III, p. 336 ed. Ernest. — De Nonii editionibus cf. Herm. in praefat. ad Plaut. Trinumm. p. VII.: „Omnino cavendum est, ne quis Parisiensem Non. edit. anni 1614 a Mercero curatam, quae optima habetur, consuluisse satis

Quod ílle dicit, quúm datatim in
lécto tecum lúsi [2]).

apud Festum s. v. seplasia p. 195 Gothofr.

Díte perdant ínferi, Antiphó, quia,
unde unguentum hóc síet,
Quaéris; atqui lépidum'st, unde
ungúentum, ni ex seplásia'st [3]).

---

habeat. Vehementer enim dissentiunt, multasque meliores lectiones continent tum Venetae veteres seculi XV, tum Plantin. anni 1565 et Paris. anni 1583."

2) De hujus versus metro (tetr. jamb. cat.) in Atellanis potissimum usitato vide Terent. Maur. de metr. p. 2436 Putsch:

Frequens in usu est tale metrum comicis vetustis:
Atella, vel queis fabulis actus dedit petulcos,
Quia fine molli, labile atque deserens vigorem
Sensum ministrat congruentem motibus jocosis,

Mar. Victor. de jamb. metr. lib. II p. 2527 Putsch. „Tetrametrum cat. Atellanarum scriptores appetiverunt; est enim jocosis motibus emollitum, gestibusque agentium satis accomodatum, quale illud:

trahuntque magnis navitae clamoribus carinas."

Datatim ludere h. l. obsceno sensu; alioquin i. q. pila ludere cf. Funcc. de adolesc. ling. Lat. p. 314. Isid. Origg. I, c. 25. Plaut. Curc. II, 2, 17.

3) Vulg. sine metro: Di te perdant inferi, A., quia

Aedituus apud Gellium XII, 10.

Quí postquam tibi ápparco atque
aedítumor in tempĺó tuo.

et apud Non. aedituor p. 75, 15.

Quí postquam tibi ápparco atque
aedítumor in tempĺó tuo,
Néc mortalis, néc mórtalium úl-
lum in terra míseriust [4]).

Agamemnon suppositus apud Non. exper-
giscceret p. 473, 3.

Ne quis míraretur, cúm tam clare
tónuerit,
Ut, síquis dormitáret, expergísceret.

Agricola sive Pappus agricola apud Non.
fervit p. 503, 8, et genit. pro abl. p. 498, 5.

Domus haéc fervit flagíti [5]).

---

unde hoc unguentum sit, quaeris; atqui lepidum, unde ung. nisi ex seplasia est. — Seplasia forum erat sive via Capuae, in qua merces vendebantur delicatissimae et elegantissimae, cf. Varron. apud Non. seplas. p. 226, 17. Plin. hist. nat. XVI, 10; XXXIV, 11.

4) Ed. Sed. post „templo" non habet „tuo" et „ullum" omisit. „Mortalis" est conjectura Jun. Hadr. pro eo, quod sine sensu legitur in libris „Mortalibus."

5) Ed. Plant. flagitiis; rectius ed. Sed. flagiti, quod

apud eund. ibus i. e. iis p. 486, 18.

Núnc quando voluísti facere, fác
voluptatí sies
Ibus.

apud eund. desubito p. 517, 28.

Volo scíre ex te, cur úrbanas res
tám desubito déseris?

apud eund. manducatur p. 477, 5.

Néscio
Quis éllam urget, quasi ásinus
uxorém tuam,
Ita apértis oculis mánducatur ác
molit 6).

---

ex ipso Non. liquet p. 498, 5, ubi idem fragmentum, sed corruptum admodum legitur: „Domus haec fuerit placiti." —

6) Edd. Pariss. et Plant. „nescio qui sellam". Ed. Sed. „ita opertis". Jun. conjecit: „nescio quis ellam", quod in textum recepit Mercer. Ante „manducatur" omnes libri habent „simul", quod cum metro repugnet, omisi quippe ut videtur interpretis additamentum. Steph. quem sequitur Schober l. c. p. 29 sine metro et sensu:

Nescio qui sellam urget, quasi asinus uxorem
tuam,
Ita apertis oculis simul manducatur ac molet.

Molere, ambigue, sensu obsceno ut μύλλειν apud Graecos.

Aleones apud Non. olat p. 147, 2.

— — 'Aleo ludam, sáne meae male olánt manus.

apud eund. rusticatim p. 166, 30, et tangere p. 408, 33.

'At ego rusticátim tangam, úrbinatim néscio [7]).

Annulus posterior apud Non. reperibitur p. 508, 10.

Id, crédo, metuis, ne ínvidia desít tibi,

Cum némo, qui a te récipiat, reperíbitur [8]).

Aruspex apud Non. puriter p. 516, 18.

Fac, Búcco, puriter úti tractes. — Lávi jamdudúm manus [9]).

7) De hiatu hac sede a Plauto quoque concesso vide Herm. epit. metr. §. 125. Vossio de poet. Lat. p. 14. Pomponius hac fabula Alexidis κυβευτάς expressisse videtur.

8) In ed. Sed. male „tibi" omissum est.

9) Locus, quem varie conati sunt viri docti, cum vulgo sine sensu legatur:

Fac puriter Bucco vel pectore rustico uti tractes; lavi jamdudum manus.

Wouwer ad Petron. Sat. c. 105. p. 628. ed. Burm. magno cum molimine:

Asina sive Asinaria [10]) apud Non. auscultare p. 246, 15.

Atque aúscultare dísce, si nescís loqui.

apud eund. festinatim p. 514, 3.

Exsílui de nocte ád molam fullóne festinátim [11]).

Auctoratus sive Bucco auctoratus apud Non. insaniter p. 509, 30.

„Fac puriter vacca vel pecore rustico
Intacto, lavi jamdudum manus.

Facere vacca ut Virg. eclog. III, 77, nisi potius sic: Fac uti — tractes". — Palmer. corruptum sic restituere periclitatus est:

— Fac puriter
Bucco vel pecorei rustico cutem tractes. N.
lavi dudum manus.

Equidem illud „vel pectore rustico" ex interpretis glossemate ortum habeo vocis puriter, vel, non pectore rustico; omisi itaque et sic versus bene procedit.

10) In edd. Pariss. Asia Ms. Asina, cf. Turneb. Adv. XXIX, 20. Lips. epist. quaest. I, 18: „Lego: Pomponius: Asta atque ausc. Novum non est, ut fabulae nomen Novius omittat". Rectius Mercer. ad h. l. „Pomponianae titulus in libris Asina, vel ut infra s. v. festin. Asinaria."

11) Ed. Plant. exsilivi.

Métuo illum, jocári nescit, ludit
nimium insániter [12]).

apud eund. torviter p. 516, 14.

Occídit taurum tórviter, me amó-
re sauciávit [13]).

apud eund. paribit p. 508.

Si praegnans non es, paribis nun-
quam.

apud Charis. I, p. 37 ebria masc.

Neque ego Mémmius,
Neque Cássius, neque súm Mima-
tius ébria [14]).

---

12) Male in edd. legitur: Pomponio auctore: Metuo etc. pro Pomponio Auctorato, quam veram lectionem Prisc. XV. p. 1010 praebet, qui eundem hunc locum ex Auctorato citat. De Auctorato vid. Schol. Acr. ad Hor. Sat. II, 7, 59. „qui se vendunt ludo, auctorati vocantur; auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum" cf. Brisson. de Form. 8, 50.

13) Optime sic locum restituit Lipsius. Vulgo enim legitur: Occidit taurum torviter, me amores amavit. Ed. Plant. torviter, me amavit. Est scilicet narratio mulierculae, quae auctoratum ad bestias amare coepit, quod ex titulo comoediae liquet.

14) Ita metri causa scripsi pro eo, quod in libris legitur: Neque ego sum Memmius, neque C. neque M, e.

apud eund. ibid.

Póstquám conveni cónvivas omnés
meas [15]).

Augur apud Non, esuribis p. 479, 6.

Immó mane,
Non ésuribis díutius, quaré roga. —

Bucco [16]) adoptatus apud Non. properatim p. 155, 1.

Pergis properatim.

apud eund. taxim p. 178, 19.

Clándestino tácitus taxim pérspe-
spectavi pér cavum [17]).

apud eund. invenibo p. 479, 28.

Saepe ánnuit, inveníbit saepe —

15) Idem fragmentum legitur apud Prisc. V, p. 642. conveni omnes convivas meas.

16) De Bucconibus vid. Isid. Origg. XII, p. 1070 Gothofr.: „Bucco garrulus, quod ceteros oris loquacitate, non sensu exsuperet. Apulej. Apol. p. 325 Elm., cf. Barth. Advers. VI, 4.

17) Mss. perspectavi perculum; edd. Pariss. e conjectura Jun. Hadr. prospectavi periculum. Ed. Plant. perspectavi percautum. Mercer. „per cavum, ita scripsi (jubente quoque metro) quia libri percautum. Cavum pro foramine, ut in Horat.: Macr acavum repetes arctum".

Campani apud Non. publicitus p. 513, 9.

Dato Dósseno et fullónibus
Públicitus cibária [18]).

Capella apud Charis. I, p. 59.

Clypeum in medium fixum'st.

Citharísta [19]) apud Non. irascere p. 127, 7.

Nóli, quaeso, iráscere,
More fit, moriri suám quisque uxorem út velit.

Collegium apud Non. expalpare p. 104, 12.

Sí quid expalpáre possim ab íllo.

Concha [20]) apud Non. eliminare p. 38, 33 et 292, 26.

---

18) Edd. Pariss. et Plant.: Dat ordo senio" Jun. Hadr. conjecit: „Dat ordo Senno" Mercer. „Datordoscuno ita libri, scilicet pro: Dato Dorsenno". Quod recte monuit, sed pro Dorsenno scribendum censeo Dosseno, ut legitur apud Fest. s. v. temetum p. 463 qui Novii Atellanam „Duo Dosseni" citat, unde apparet Dosseni personam in Atellanis non raram fuisse.

19) Edd. Pariss. et Plant. Arista. Salmas maluit Heterisca, ut sit eadem cum Prostibulo fabula. Jun. Hadr. in Indice ad Non. Synaristosae συναριστῶσαι, quas e Menandro transtulisse Pomponium conjicit. Rectius Mercer. „Citharista ita feci e lectione Mss. et arista, nam vulgati Arista".

20) Edd. Pariss. et Plant. Pompon. Cantabit: istic

Vós istic manéte, eliminábo extra aedeis cónjugem.

Conditiones apud Non. edim p. 507, 6.

Víx nunc quod edim invénio, quidnam fíet, si quam dúxero? [22]).

Cretula vel Petitor [23]) apud Non. forum p. 206, 17.

Bálnea,
Forús, macellus, fána, portus, pórticus.

in altero loco (p. 292, 26.) Concavos: istic. Jun. Hadr. conjecit: Coena: vos istic manete ut apud Sosipatrum, non reputans Sosipatrum Charis. I, p. 107 non nostri sed Pomponii Secundi Coenam laudare. Turneb. Advers. XXIX, 17 putat hic agi de clavo vestimenti, et translatitie de negotio aut re maximi momenti ac difficili, quae sine alterius opere praestari non possit. Gothofr. „Conclavi in isto manete". — Notae edit. Paris. 1583: „Concha vos istic manet, pro coena vobis parata est, quod in mensa salinum ponere solent Horat. sat. I, 3." — Quibus omnibus id, quod supra dedi rectius puto, quia quam potest minime abit a librorum lectione.

22) Stephan. male omisit vocem „quam"

23) Edd. Pariss. et Plant. Cretula: Nil petiturae. Ed Venet. Cretula vel Petiture. Guillelm. rectius Cretula vel Petitore. Videtur enim Pomponius fabulam de candidato magistratum ambienti scripsisse; nam creta sive cretula candidati vestes

apud eund. ominas p. 474, 9.

'Eveniat bene! — 'Ita sit, et tibi béne sit, qui recte óminas.

Decuma sive Decuma fullonis apud Festum s. v. temetum p. 463.

Non multi temeti, sed plurimi ——

apud Non. tolutim p. 4, 7, tortor p. 105, 14, equuleus p. 182, 13.

'Et ubi insilui in cóleatum equúleum, ibi tolútim tortor [24]).

---

candidas reddebant cf. Plin. hist. nat. XXXV, 17. Quam emendationem adjuvant verba illa: bene eveniat etc. quae sunt bene precantis candidato et illius respondentis. — Metri causa scripsi: „eveniat bene" vulgo: „bene eveniat".

24) Ed. Sed. cocleatum. Mercer. ad h. l. „cocleatum, libri hic clocleatum, in voce tortor cocleatum, in voce eculeus culeratum, ut fortasse verum sit, quod Turneb. (Advers. XVII, 21) monuit coleatum, sed alio sensu; fullonias omnes fabulas obscenis et rebus et verbis constare omnes sciunt" cf. Tertull. de pallio c. 4 p. 4 ed. Commel. ibique interpp. Coleatus equuleus est membrum virile, verba enim sunt impudicae mulieris. Sin praefers cocleatum, servi videntur esse verba ob delictum aliquod ad equuleum damnati; cocleatum, a similitudine equulei. — Jun. Hadr. sceleratum.

De vite [25] apud Non. palumbi p. 219, 8.

Quo palumbam unum ex ore tollit.

Doga apud Non. penus gen. fem. p. 219, 30.

Illi vinum penumque, quae omnem — —

Ceterum aliam praeberem penum [26].

Dotata apud Non. efflictim p. 104, 24.

Scio pol, te illam amare efflictim.

apud eund. paulispsr p. 511, 31.

Possum éxorare te, út recedas á me paulispér modo? —

— Quantísper sat habes? —

25) Jun. Hadr. in Indice ad N. Pompón. Debita quod fort. recte.

26) Edd. sine sensu: Pompon. Dogali unum penum quae omnem, sive Dogali (ed. Sed. Degali) vinum penumque omnem. Jun. Hadr. conjecit: Do illi vinum, penumque omnem. Mercer. ad h. l. „Pomp. Dogali, ita libri, scribe Dotata et mox Nóvius Dotata, Pomponii Dotata supra in voce efflictim et paulisper". — Mihi fabulae titulus videtur esse Doga, vas quoddam vinarium; cf. Vopisci Aurel. c. 48 ibique Salmas. Citasse Nonium ex hac fabula duo fragmenta censeo, quorum alterum, in fine mutilatum:

Illi vinum penumque, quae omnem

legendum est, ne Nonio ipsi, adversetur, voce penus veteres gen. fem. usos esse contendenti.

Ergastulum [27]) apud Non. rarenter p. 164, 27, et 515 villicari p. 186, 2.

Nam lónge ab urbe víllicariér, quo
herus rarentér venit,
Non víllicaríér, sed dominari ést
mea senténtia.

Fullo sive Fullones apud Non. fervat p. 504, 26.

Fácite, ut ignis férvat, ligna instí-
pite, far concídite.

apud eund. complectite p. 472, 32.

Quin érgo quando cónvenit, com-
pléctite. —

---

27) Mercer. ad Non. p. 164, 27,: „Pomponii locum habes infra voce villicari, quem scripsi ubique ut in libris. At infra in tractatū de indiscretis adverbiis idem locus affertur ex Trabeae Ergastulo et ibi villicarier". Fabric. Bibl. Lat. Tom. III, p. 238 ed. Ernest.: „Laudare creditur Trabeam in Ergastulo Non. c. 2, sed Pomponio bis asseritur in rarenter et villicari. Caussa erroris est, quod vocabulum trabes ad Ennii fragmentum revocandum: sed quasi trabem, e quo fecerunt Trabeam Palmer. et alii. Sed et illa lectio vitiosa est, legendumque trahere, ut etiam editur in Fragm. Ennii p. 242 ed. Hessel. Pomponii nomen excidit, ut vidit Jun."

Mi fráter salve! — O soror salvé
mea! — [29]).

Galli Transalpini apud Gellium XXI, 6, apud Macrob. Saturn. tom. II. p. 196 Bip. Non. bident. p. 53, 23.

Mars tíbi voveo, factúrum, si unquam rédierit,
Bidénti verre [30]).

Haeres petitor apud Non. lavi p. 504, 23.

'Ita velim faciás, jam pridem vólui, latrinám lavi [31]).

apud eund. ampliter p. 511, 18 et 234, 30.

Heús aptate púeri munde átque ámpliter convívium!

Hirnea Pappi apud Non. verminari p. 40, 19.

---

29) Edd. Pariss. „Mi frater salus". De hiatu in penthemimeri a Plauto quoque admisso vid. Osan. Anal. crit. p. 113 et Bentl. ad Terent. Eun. III, 1, 18. Excusatur insuper personarum mutatione cf. Herm. Doctr. metr. p. 190.

30) Apud Macrob. legitur rediero.

31) Vulg. „jam pridem volo" scripsi volui metro et sensu postulante. Turneb. Advers. XXI, 20 „Latrinam lavere est in latrinam sive balneum privatum aquam ferre, Plaut. Curc. IV, 4, 24 et

Décumus mensis ést, cum factumst,
ita fit, ita sempér solet;
Décumo mense démum turgens
vérminatur, párturit.

Kalendae Martiae apud Macrob. Sat. tom. II. p. 177: „Sed haec ab illo fluxerunt, quod Pomponius in Atellana, quae Kalendae Martiae inscribitur, ait:

Vócem deducás oportet, út videantur múlieris
Vérba. — Jube modo afferatur múnus, tenuem et tínnulam
Vócem ego reddam[32]).

et infra:

Etiam nunc vocem deducam".

Lar familiaris apud Prisc. VI p. 686.

Oro te, Basse, per lactes tuas!

Leno apud Charis. I, p. 60.

Caseum molle.

Maccus apud Non. attendere p. 238, 15.

Pompon., quod quidem alio sensu quodam, quam illud Plautinum dictum videtur".

32) Vulg. sine metro: „Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba. Jube modo afferatur munus, ego vocem reddam tenuem et tinnulam".

Quid futurumst, si pol hanc ego
díscere artem atténderim? [33])

apud eund. floria p. 114, 12.

Conforisti me Diomedes.

apud eund. verecunditer p. 516, 23.

Vírginem praéteriens
Vídit Dossénum in ludó verecún-
diter
Nón docentem cóndiscipulum, vé-
rum scalpentém nates [34]).

Macci gemini apud Non. abscondit p. 75, 25.

Périi, non puéllula'st! numquid áb-
scondisti intér nates? [35])

apud eund. accinge p. 469, 29.

Jam égo mihi adero, dum égo re-

---

33) Vulg. sine metro: si pol ego hanc.

34) Legitur vulg. „Virginem praeteriens vidit duos sensum in ludo, verecunditer non docentem condiscipulum" etc. Edd. Pariss. discipulum. Conjecit Jun. Hadr. „Virginem praeteriens vidit duos senes, unum ver." Palmer. „Indidem praeteriens vidit dominos senium in ludo verecund." dominos pro dominus antique, senium pro sene comice. — Mihi quidem in vocibus „duos sensum" Dosseni nomen latere videtur, quod jam supra corruptum invenimus.

35) Edd. Pariss. nunquid. Ed. Sed. et Jun. Hadr. nunc quid.

vórtor, áge, nate, accinge ád molas [36]).

apud eund. intui p. 470, 30.

Incépi contui, conspício coleatam cúspidem.

apud eund. venibo p. 508, 23.

— Sero est, séxta si tibí placet Venibo. —

apud eund. primiter p. 154, 25.

Quin bóno animo es!
Vidéo, éripuisti prímitêr de pánnibus [37]).

36) Edd. Pariss. „age ante", unde Gothofr. fecit; „age jam te accinge" quod Nonio contradicit, qui contendit, Pomponium pro accinge te, accinge dixisse. Stephan. „agamus" Mercer edidit: „age, anus, accinge" Scripsi „nate" quod facile errore in „ante" mutari poterat.

37) Edd. Pariss. „eripis primiter dapes". Legitur idem fragmentum apud Non. pannibus p. 488, 30:

Bono animo es, video eripuisti primitus de pannibus.

Ed. Sed. eripis primiter. Jún. deripis tibi; apud Non. es pro esto p. 506, 25:

Bono animo es, video, deripis tibi primiter de pannibus;

apud Charis. p. 187: „primiter apud Pomp. in Maccis geminis prioribus:

Bono animo es, erpis primiter";

apud eund. populatim p. 150, 18.

Poema placuit populatim omnibus [38]).

Maccus miles apud Charis. I, p. 99.

Cum cóntubernale égo pugnavi, quód meam
Coenam — — [39]).

apud eund. I, p. 101.

— Nám cibaria sí vicem
Duórum solum mé comesse cóndecet [40]).

Maccus sequester apud Non. fulgit p. 516, 9.

Símilest, quasi, quum in coélo fulgit própter lunam lúcifer [41]).

Majalis apud Non. veget p. 183, 3.

Animos Venus veget voluptatibus.

apud eund. frustro p. 473, 17.

---

38) In edd. vulg. Magnus poeta placuit p. o. In Mss. teste Gothofr. Magnius poema placuit . . . corruptum scilicet ex Mac. geminis: Poema placuit etc. Ed. Sed. Maginus.

39) Barth Advers. IV, 5 scribendum existimat: quo demam coenam pro: quod meam coenam.

40) Vulg. namsi cibaria vicem.

41) Jun. in Ind. ad Non. „Maccus sequester, nisi sit equester, ut M. miles".

Miséret me eorum, quí sine frustis véntrem frustrarúnt suum [42]).

apud eund. revortit p. 476, 1.

Coenam quaéritat,
Sí eum nemo vocát, revortit moéstus ad maénam miser [43]).

Maevia apud Gell. X, 24 et Macrob. Saturn. Tom. I, p. 214. „Venit ecce illius versus Pomponii in mentem, qui est ex Atellana, quae Maevia scribitur: [44])

Diés hic sextus, quúm nihil egi,
dié quarto moriár fame [45]).

---

42) Barth Advers. XXXVIII, 3: „quod haud dubie de triparco quodam dictum est, qui famem avaritia illudere voluerat".

43) Ed. Sed. Miseri; edd. Pariss. moestus ad me, nam miser. Jun. Hadr. ad Menam. Gothofr.: „Mss. alii ad maenam; maena hic vilis piscis, ut et Cicer. de finib. II, 28, non proprium nomen viri". Cf. insuper de hoc pisciculo Plaut. Poenul. V, 5, 33. Martial. XI, 32, 14. XII, 32, 15. Pers. Sat. III, 76.

44) Vett. edd. Gellii secundum Codd. nonnullos legunt: „quae metui ascribitur", de qua lectione vid. Gronov. notam ad h. l. Gronovii pater conjecit Necyia, Νεκυία.

45) „Forsan hic legendum dies hic tertius, et pro egi,

Medicus apud Non. rhetorissat p. 166, 2.

Dolásti uxorem, núnc eapropter mé cupis
Concídere et jam rhétorrissas[46]).

Munda apud Non. p. 474, 12.

Ego íllam non ampléctar? ego non suáviem?

apud eund. convivant p. 474, 21.

Si caléndis convívant,
Idibus coenánt foris.

Nuptiae apud Non. condepsere i. e. commiscere p. 39, 12.

Partem insipui, cónclusi, condepsui.

Pannuceati apud Non. rutrum p. 18, 20.

Sárculum hinc illó profectús, íllim rediísti rutrum[47]).

---

edi. Ita dies quartus congruit. Vel ita interpretari quis potest (immo debet) die ab hinc quarto moriar fame". Gron. ad h l.

46) Edd. Medico; Jun. Macco. Edd. Pariss. Dolasti uxorem nunc et propter. Mss. ea propter teste Gothofr. et Lips. epist. quaest. V, 14. „Verbum concidendi (et dolandi) inter verba nequitiae. Dolasti, ita lego, non dotasti". Lips. l. c.

47) Edd. Pariss. Sarculum hinc illo profectus, illum

apud eund. nubere p. 143, 26.

Séd meus
Fráter majcr póstquam vidit mé vi dejectúm domo,
Núpsit posteriús dotatae, vétulae, varicósae Afrae[48].

apud eund. truam p. 19, 15.

Ubi aspéxit tam mirífice tutulatám truam.

apud eund. velare p. p. 416, 15.

Núnc rogas
Quid fíat? restis vílis est, velét gulam.

---

redisti rutrum. Jun. pro illo, illinc, alii illim. Mercer. ad h. l. „Illum redisti, libri omnes, jusseram, edi illim, quomodo scripsisse Lucilium constat". — Versiculi sensus hic est: profectus es puer, vir rediisti.

48) Edd. Pariss. Sed — vidit me inde ejectum domo. Mercer. „vulgo: me inde ejectum, libri me indeiectum, scripsi me vi dejectum Mox pro afrae placet conjectura Junii vafrae (quae conjectura metro repugnat). Monent recte docti viri uxorios homines nubere uxoribus dici, qui dominas ducunt domum, idque voluisse Pomponium indicat titulus fabulae Dotatae". Rectius Barth. Advers. VI, 14. „non bene etiam mihi τὸ nubere propter dotem imperio uxori tradito

apud eund. nebulones p. 18, 31.

Quíd dedi nebulóni, quem pertesum pauperem — — 49).

apud eund. evannetur p. 19, 22.

Díxi ego illud futúrum, in prima válva'st, vix haéret, misera,
Evannetur ét mea ocyus ópera ut fiat fécero.

apud eund. penula p. 537, 3.

Penulam ín caput
Indúce, ne te nóscat.

---

interpretatur J. Mercer.; simpliciter enim nubere etiam de virili sexu dixisse veteres Non. docere nititur" cf. Tertull. ad uxor. I, 7, de Monog. 7.

49) Edd. Pariss. pertesum. Ed. Sed. pertesunt. Mercer. „In Pomponio libri habent: quem pertesunt pauperem. Credo fuisse:

Quid dedi nebuloni, quem propter te sivi pauperem.

Jurgium patris cum majore filio, cujus causa minorem ἄσωτον ejecerat domo; indicant illa ex eadem fabula: sed meus frater etc. Eum redeuntem cum pater exciperet querenti, ut solet, majori filio, dissipari in nebulonem paterna bona, haec respondet pater. Rediisse indicant illa: Sarculum hinc illo etc., quae sunt patris ad filium minorem". Merceri conjecturam satis ingeniosam in textum recipere non sum au-

apud eund. incoxavi p. 39, 17.

Neque interim cacándi causa únquam incoxaví nates [50]).

Pappus praeteritus (sc. in eligendo magistratu) apud Non. vogas p. 468, 7.

Populí voluntas haéc est, et vulgó vagas [51]).

Patruus [52]) apud Non. tutant p. 476, 10.

Nón erat

Quod córpus tremulum fámula tutarét toga.

apud eund. mirabis p. 474, 24.

---

sus, quia a vulg. lect. nimis recedit, versum in fine mutilatum esse censeo.

50) Edd. Pariss. incoxa viva te. Jun. Hadr. incoxavi nates. De hiatu vid. Hermann. epit. metr. p. 48.

51) Ed. Sed. Populis voluntas haec est et vulgo datas, cum signo lacunae. Edd. Pariss. Praeterito populi vol. — Jun. „forte Pappo praeterito (qualem etiam Novius composuit apud Non. capulum p. 4, 29) aut ut praeterito supervacanea sit vox, ita: Pappo: populi v., sicque suis numeris senarius constat". — Recte se habet librorum lectio, quam supra dedimus; verba enim candidato populum ambienti sunt dicta.

52) Edd. Pariss. Patruo, ed. Sed. Partis. Jun. in Ind. ad Non. „Patruus in mirabis videtur eadem

Facies
Mirúm, si fatuae stúdium mirabís
diu [53]).

Philosophia apud Non. memore p. 514, 23.

Ergo, mi Dosséne, quum isthaec
mémore meministi, índica,
Qui íllud aurum abstúlerit? —
Non didici háriolari grátiis. [54])

Pictores apud Non. strena p. 26, 33.

Asside, si quá ventura'st ália stre-
na strénue.

---

esse cum Pappo, quamquam invenio et Partis scriptum in voce tutant, ubi vulgata Codd. Patruo legunt".

53) Vulg. sine metro: Mirum facies fatuae a. st. m. d.

54) Vulg. in libris corruptissime: Ergo nidos sed ne quum ista haec etc. In edd. Pariss. desunt verba „ergo nidos". Jun. pro ista haec, isthaec. Mercer. „Ergo nidos sed ne, ita libri, scribe:
Ergo, mi Dorsene, quum isthaec memore
meministi, indicat (indica?)
Qui illud aurum abstulerit, non didici hariolari gratiis.
Inducebat hariolum, qui fidei faciendae multa enuntiabat, quae artis suae ope se fere scivisse fingebat, ut solebant ejusmodi agyrtae; is cum tandem urgeretur dicere, quis aurum amissum abstulisset, qua causa vocatus fuerat, negat se dicturum, nisi praesentem pecuniam viderit. Dor-

apud eund. manducones p. 17, 14.

Magnus Camillus, Manducus, cantherius [55]).

senus comica persona ut supra in eodem Pomp. Dato Dorseno. Philosophiae inscriptio, quia philosophorum nomen ementiebantur isti circumlatores".

55) Varro de ling. Lat. p. 57, 30 Gothofr. „Dictum mander a mandendo, unde manducari, a quo in Atellanis obsonium vocant manducum". Pro „obsonium" legendum esse conjicit Schober l. c. p. 18 personam, scribendum fortasse rectius „obscenum". Hoc enim loco manducum non de obsonio sed de manducone intelligendum esse, recte observavit Scalig. Conject. in Varr. de ling. Lat. p. 150: „In Plauto manducus est μορμολύκειον, quod in ludis circumferebatur inter ceteras ridiculias et formidolosas personas, magnis malis, lateque dehiscens et clare crepitans dentibus, in Atellanis praesertim cf. Juven. Sat. III, 174 — 176

tandemque redit ad pulpita nota
Exodium, cum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Intelligit manducum, quem magnis dentibus effingebant, ut dixi. Dentes enim magnos et voracitatem attribuebant nocturnis illis terriculamentis. Quo nomine factum, ut Lamiam puerorum infantium deglutricem fingerent". — Ed. Sed. Magnus manducus camillus cantherius. Mercero pro Camillo placet camelo, quippe cui Pomponius magnum manducum comparasse videtur.

apud eund. senica p. 17, 19.

Pappus híc medio habitat sénica,
non sescúnciae [56]).

apud eund. intestatus p. 323, 27.

'Ipsus cum uno sérvo intestató senex
proficíscitur [57]).

apud eund. dicere p. 280, 18.

Númmos certos dícas. — Dico
quínquaginta míllia [58]).

— De Camillis deorum servis vid. Creuzer. Symbol. tom. II, p. 460. cf. Dionys. Arch. II, 12. Camilli imaginem manduconi non dissimilem vide apud Creuz. Symbol. tom. I tab. II, 3 e Passeri Picturis Etruscorum in vasculis tom. III tab. CCXVII.

56) Vulg. non sescuncia. Recte Guillelm. non sescunciae i. e. nihili, sic Afran. homo non nauci, Naev. non quisquiliae, Vatin. apud Cicer. non semissis (epist. ad divers. V, 10) Plaut. non assis, non triboli (Poenul. I, 2, 168).

57) Vulg. sine metro: Ipsus cum uno servo senex intestato.

58) Vulg. hic et in voce senica: Pomp. Pistoribus, quam saniorem scripturam judicat Jun. pro ea, quae pictores repraesentat in voce strena, occupare etc. Recte Mercer. „Pictoribus ubique libri nostri, non pistoribus, praeterquam in voce dicere, sed male ibi. Tres fabulas docuit Pomp. diversas: Pistorem, Pictores, Piscatores".

apud eund. occupare p. 356, 8.

Quae tuleram mecum millia decem
Victóriatum Graéca mercede, illico
Curávi, ut occupárem.

apud eund. callet p. 482, 8.

Mirum, ni haéc Marsa est, in cólubras callet cánticulum.

Piscatores apud Non. merum p. 344.

Néscio quid, nón est hoc merúm, quod hic plorát. —

apud eund. piscati p. 488, 16.

Quíd habes in scirpículis calve? —
Omne piscáti genus 60).

apud eund. tumulti p. 484, 4.

Quid hóc est tumúlti?

59) Recte ita conjecit Guillelm. et in textum recepit Mercer. In edtt. legitur sine sensu: Quae tuleram mecum nulla deinde victoria tam Graeca mercede illico c. u. o. — Nummus victoriatus = 5 ass. = ½ denar.

60) Ed. Sed. Sirpiculis. De calvis in ejusmodi fabulis non raro obviis vid. Non. s. v. calvitur p. 6, 24 „calvitur dictum est frustratur, tractum a calvis mimicis, quod sint omnibus frustratui". Mercer. ad h. l. „Recte libri a calvis mimicis. Calvi enim in mimis ubique introducti et semper derisui, ut in palliatis lenones et parasiti".

Pistor apud Non. comest p. 81, 21.

Décipit vicínos, quod moléndum
conduxít, comest.

apud eund. quaesti p. 483, 23.

Nám plus quaesti fácerem, quam
si habérem quadrinas molas[61]).

apud eund. ocquiniscere p. 146, 25.

— — Nisi núnc aliquis subito ób-
viam occurrít mihi,
Qui ócquiniscat, quó compingam
Términum in tutúm locum[62]).

apud eund. desubito p. 517, 19.

Fít desubito hílarus, tristis, sáltat,
ridens, ríngitur.

Pytho Gorgonius[63]) apud Non. perveni-
bunt p. 508, 5.

---

61) Vulg. adversante metro: quam quadrinas si haberem — De quadrinis molis cf. Turneb. Advers. XII, 16: „Trapeta quaedam et torcularia fuere quadrinis vasis ut ap. Cat. c. 18 legimus, quae plus olei vinique premebant, sic quadrinae molae plurimum farinae in pistrinis faciebant, hinc illud Pomponii apud Non".

62) Obscene hoc dictum esse, nemo non videt, Terminus de membro virili.

63) Edd. Pariss. Pomp. Pithone Gorg. Jun. Pintone; cf. Scalig. in Varron. de l. L. p. 150: „Pompo-

Hominem

Beátum, quo illae pérvenibunt di-
vitiae.

Placenta apud Non. intyba p. 209, 5.

Rústici edunt libénter pedibus trí-
tos acres íntybos[64]).

Porcetra apud Gell. XVIII, 6: „Nam de porcetra sane habet auctorem Pomponium in Atellana, quae hoc eodem vocabulo inscripta est".

---

nius inscripsit exodium quoddam Pythonem Gorgonium, qui nihil aliud erat, ut puto, quam ille Manducus, de quo dixi, nam Pythonem pro terriculamento et Gorgonium pro Manduco, quia Γόργονες cum magnis dentibus pingebantur. Ergo Manducus Atellana persona et Lamia et Pythones ὀξυόδοντες pingebantur, cf. Lucil. Sat. lib. XXX apud Non. gumiae i. e. gulosi (p. 117, 34):

Illo quid fiat, Lamia et Pytho oxyodontes
Quo veniunt, illae gumiae, vetulae, impro-
bae, ineptae.

64) In libris invenitur sine sensu: Rustici edunt libenter pedibus tristeis acres intybos. Varie conati sunt versum interpp. Jun. pro „acres" conjecit „atros". Guillelm. pro pedibus tristes poedidos tristes, poedidum i. q. foetet et gravis odoris est cf. Fest. s. h. v. Mercer. ad h. l. pro pedibus scribi vult dapibus. — Omnis difficultas tollitur, si pro tristeis levi mutatione legimus tritos. Inty-

Porcaria (sine dubio eadém fabula, quae Porcetra) apud Non. cossim p. 40, 28.

Sciúnt hoc omnes, quántum est,
qui cossím cacant [65]).

Portus sive Portitor apud Non. vepres p. 231, 12.

Decédo cacatum, víde, prope est
veprécula [66]).

Praeco posterior apud Non. senium p. 2, 24.

Cálve, apportas núntium
Nóbis disparém, dívisum, húic seni
senium ét metum.

---

bos enim pedibus teri solitos esse discimus e Lucil. apud Charis. Inst. I, p. 77: „Nam Lucilius in V deridens rusticam coenam enumeratis multis herbis:

Intybus praeterea pedibus perserpsit equinis."

65) Cossim i. q. coxim; qui cossim cacant i. e. qui infantiam illam primam, qua jacent parvi, excessere. Gessner in thesaur. ad h. l.

66) Edd. habent sine sensu: „Vepres - generis femin. Pomponius portoperipecons: Decedo cacadum, vepra est veprecula". Jun. in Ind. ad Non. „Portitor vel Portus in vepres; in excusis libris legitur portopericons, cum legendum sit: Portitore per ὑποκόρισμα". Scalig. versum sic restituere est conatus:

apud eund. sénica i. e. sénex p. 17, 21.

Séd me exercet sénica nequam,
néque illo quid faciám scio;

apud eund. vafrum p. 19, 30.

Tergum varium, linguam vafram.

apud eund. particulones p. 20, 7.

'Age modo, sta, gárri, particulónes
producám tibi [67].

apud eund, commictilis p. 83, 3.

Sí sciam, quid velís, quasi servi
cómici commíctilis — —

apud eund. mactare i. e. malo afficere p. 342, 10.

'At te Di omnes cúm consilio,
cálve, mactassínt tuo.

Dede, cedo, cacatum, vipera est in veprecula.
In notis ad ed. Paris. 1583 legitur ex conjectura:
Decedo cacatum, prope est veprecula.
Mihi quidem vitium in voce „vepra" inesse videtur, orta videlicet e brevi scriptura ve i. e. vide, et pre i. e. prope.

67) Sic legitur in edit. Sed. — Edd. Pariss. Age modo, Stagari. Palmer. conjecit: Sta Cai, Scalig. Sagari. — „Particulones, qui te in partes concidant; alludit nempe ad eos particulones, inter quos res aut haereditas aliqua est communis". Gothofr. ad h. l.

apud eund. acc. pro nom. p. 500, 25.

Quót laetitias ínsperatas módo mî irrepsere ín sinum! [68]).

apud eund. derepente p. 518, 18.

Vís facere, ut novérca vetulum dérepente déserat?

apud eund. opêrari i. e. sacrificiis litare p. 523, 11.

'Ad Veneris proféctu'st mane vétulus, votum ut sólveret,
'Ibi nunc operatú'st.

Praefectus morum apud Non. operibo p. 507, 31.

Pater!
At 'st! negato esse híc me, ego operibó caput [69]).

apud eund. germanitus p. 118, 14 [70]).

68) Vulg. Quod laetitias. Casuum commutatio non potest nisi anacoluthi genere explicari.

69) Quod dedi legitur in ed. Sed. ex emendatione Scalig. Conject. in Varron. de ling. Lat. p. 24. Vulgo: Praefect. Morum pater at est, negato esse hic me operibo caput. Jun. Hadr. Praefect. morum: Pater est, negato hic esse me. Gothofr. e MSS. Pater est, negato esse sic me.

70) Ita bene edd. Pariss. Perperam ed. Sed. Ut si

Ut, sí quis est amíco amícus, gáudet, si quíd évenit
Boní, cui amicus ést germanitus.

Prostibulum apud Non. delirare p. 18, 1.

Jámne abierunt? jám non tundunt? jámne ego sum in tutó satis?
Núm quis hic résistit, qui nondum lábeas lirarít mihi? [71])

apud eund. centuriatim p. 18, 11.

Cóntinuo ad te cénturiatim cúrrent, qui paném petent.

apud eund. rumen p. 18, 15.

Ego rumorem párvi facio, dúm sit rumen qui ímpleam.

apud eund. comedim p. 83, 33. [72])

Ego quaero, quod cómedim, has

---

quis est amicus amici, gaudet sicut cui Boni evenit, cui amicus est germanitus.

71) Edd. Paris. Jamne obtundunt. Mercer. ad h. l. „Rectum est, quod edidi e libris: jam non tundunt. In sequenti versu resistit ita enuntiatur, ac si esset restit“. Altera syllaba vocis resistit non tam pronuntiando praetermittenda, quam corripienda, ac si st positionis vi careret cf. Bentl. de metr. Terent. p. XV ed. Lips.

72) Vulg. Ego quaero, quod edim, has quaerere, quod cacent, contra jus est. — Ed. Sed. Ego

quaerere, quód cacent, contrárium'st.

apud eund. spurcum p. 394, 14.

Quaé peditibus núbere poterant, équites sperant spúrcae[73]).

apud eund. schema fem. p. 224, 32.

Sí valebit púls, in buccam bétet, si licium, ín sehemam[74]).

apud eund. ocquiniscere p. 146, 23.

Ut núllum civem páedicavi pér dolum,
Nisi ípsus orans últro qui ocquinísceret[75]).

---

quaero, quod edim, has quaerere, quos cacent, contrarius est. — Stephan. nescio an ex conjectura: Ego quaero, quod edim, has quaerere, qui parcant, certum est.

73) Vulgo quae pedibus nubere; liber Casaub. habet peditibus teste Mercer. ad h. l. — Obscenum hoc dictum est prostibuli; equites enim sunt, qui a tergo rem habent cum mulieribus.

74) Sic dedi e conjectura Palmerii. Legitur enim vulg. sine omni sensu: si valebit plus in buccam vetet, si dicin schema. — Primam vocis schema ab antiquis correptam esse probat versus Plaut. Amphitr. Prolog. 115:

Quod ego huc processi, sic cum servili schema.

75) Edd. Pariss. ultroque ocquinisceret.

apud eund. rictus p. 456, 2.

Quís hic est? quam ób rem hic próstat, rictum et labeas cum consídero?

Quinquatria apud Non. seplasia p. 226. 17.

Venit ínquit nos rogátum, quando nóstrae essent seplásiae.

Rusticus apud Non. dapsile p. 513, 26.

Quid núnc vis fieri? — Vérrem sume dápsile ac dilúcide.

Sponsa Pappipolae [77]. apud Non. cognoscere p. 275, 23 et 469, 20.

Magís curabo ubi cognorint, ómnes una asséntiant.

Sarcularia apud Non. suppilare p. 13, 1.

Altér amat, potat, pródigit, patrém suppilat sémper [78].

Satira [79]) apud Prisc. VI, p. 679.

Quojusvís leporis Líber diademám dedit.

---

77) In priori loco vulg. Pansa Papipol. Merc. „Pansa, scribe sponsa Pappipolae ut infra c. 7" quo in loco perperam vox „curabo" omissa est. Jun. Sponsa Papae: Pol eo magis.

78) Sic edidit Mercer. e certissima Guilielm. conjectura. Vulg. Alteram apportat, prodigit, p. s. s.

79) Casaub. de sat. poes. lib. II, p. 195: „L. Pom-

apud eund. VI, p. 726.

Blánda, fallax, ímpotens,
Supérba, discordís.

Synephebi apud Charis. I, p. 108.

Incolume illo.

Syri [80]) apud Non. lurcones p. 11, 5.

Lápathium nullum útebatur, lárdum
lurcàbát lubens [81]).

apud eund. praesente p. 154, 16.

Quídam apud forúm praesente té-
stibus mi véndidit.

Vacca apud Prisc. X, p. 885.

---

ponium in Satira meminimus Prisciano laudari, sed hujus Atellanarum scriptoris satiram referimus ad genus, quod ante Ennium florebat, dramaticum".

80) Vel agebat fabula de Syris servorum vilissimo genere, id quod alterum fragm. probare videtur, vel de syris i. q. scopis cf. Non. p. 46, 6: „Syrus a Graeco magis tractum est ἀπὸ τοῦ σύρειν, has nos scopas, rustici eo nomine syros vocant."

81) Lips. Antiqq. Lectt. V, 22: „Lego: nullus vescebatur, nullus pro non comicorum more". Mutatione non opus est. Mercer. „In Pomp. bene libri, lapathium nullum utebatur; quod et versus ratio exigit (si legis nullus versus est jamb. octon.) ut ille Poeniculus Plautinus, cui convivium non placet de herbis, nisi addatur sus terristris bestia".

Simul íntro veni, áccessi ád pátrem,
prendí manum,
In térra ut cubábat nuda, ád eum
ut conquéxi,
Interim muliéres conspiciúnt.

Verniones apud Non. expedibo p. 505, 17.

Séd qui utrosque errór vos agitat,
éxpedibo [82]). —

apud eund. aperibo p. 506, 29.

Aperíbo non possum civém pati,
Pórcus est, quem amáre coepi,
pínguis, non pulcér puer [83]).

Verres aegrotus apud Non. frustatim p. 112, 5.

Verum illí valent
Quí luctantur cúm leonibus. —
Ut te objectes prándium [84])
Pásserinum frústatim? —

---

82) Ed. Sed. Se qui utroque, sine sensu.

83) Vulg. Orcus est. Scalig. recte conjecit: Porcus est. Jun. „lego pati, nam „civem" superfluum est (quod non video); Horaeus est, quem amare etc. ὡραῖος aetate nimirum integer et maturus".

84) Vulg. legitur sine metro: Verum illi valent, qui luctantur cum leonibus et te objectes (edd. Pariss. ut te objectes) frustatim passerinum prandium.

apud eund. testatim p. 178, 24.

— Jam istam cólaphis comminuissem testatím tibi.

apud eund. parciter p. 515, 6.

Suáveolom! — Párciter,
Tánquam frater sís mihi. — Medium ábdomen cum dívidam[85].

Fragmenta deperdito fabulae nomine.

Seneca Epist. III. sub fin. „Itaque hoc, quod apud Pomponium legi, mandabitur tuo animo:

Gothofred.: „Ut se objectent f. p. p. Colloquium est duorum in hoc Pomponii verte, unus enim alterum exhortatur ad venationem lenum, et qui se in eo genere exerceant, valentes esse ait. Alter cum irrisione ita respondet: id quidem dici posse, sed tamen in ejusmodi venatione homines se objectare frustatim discerpendos leonibus, iisque esse veluti passerinum prandium, quasi diceret hoc: devoratum hominem leoni esse, quod homini passerinum prandium, idque videtur proverbii species".

85) Vulg. Albeolo parcitur sive salbeolom parciter.

Quidam adeo in latebras refugere,
út putent in túrbido
'Esse, quidquid ín luce est[86]."

Charis. II, p. 192.

Quaquam negas nuptam.

Cledonius p. 1896 ed. Putsch.

Quo pacto caream tam pulcra
penu?

Priscianus III p. 615.

'Interim dum contémplor orcam,
táxillos ego pérdidi.

Diomed. I, p. 310, Prisc. X, p. 902 „pinso facit praeteritum pinsui, quod Probus e Pomponio comprobat:

Cum ínterim nequé molis molui,
néque pistillis pínsui[87])."

Recte Lips. Antiqq. Lectt. II, 4. „saveolom pariter. Videlicet autem verbum dividendi hic inter obscena esse et devirginata" cf. Cicer. addivers. IX, 22.

86) Vulg. refugerunt. Lipsio ad h. l. haec verba poetam olere non videntur, quapropter ea philosophi habet. Sed numerus, qui verbis inest, jam satis probat, ea esse ex poeta petita, nec est, quod Pomponio haec denegemus, cum, ut supra ostendimus, Atellanarii talibus sententiis gauderent.

87) In Diomed. loco legitur: Cum interim — neque

Varro de ling. Lat. VI. p. 50: „Cascum significat vetus, item ostendit Papinii (lege Pomponii) epigrammation, quod in adolescentem fecerat Cascam:

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica,
Casca Philoptonis, ipsa senex puerum.
Dic tu illam Pusam, sic fiet: mutua muli;
Nam vere pusus tu, tua amica senex'st. [88]).

palatis pinsui, quod quid sibi velit nescio; in Prisciano invenitur: neque molis molui, neque pilis pinsui; scripsi pistillis ut metrum adiuvarem, quod pistillis facile in pilis mutari poterat.

88) Pomponii epigrammation esse apparet e Prisc. III. p. 602: „hic et haec senex vetustissimi proferebant: Pomponius in epigrammate, quod M. Varro in libris, qui sunt de ling. Lat. refert: Tua amica senexst." Scalig. Conject in Varron de l. L. p. 117 alterum versum, quem Adr. Turnebo acceptum refert, ita dedit, ut mihi videtur, minus recte:

Fili Petroni sesquisenex puerum.

Sic fiet: mutua muli sc. scabunt; proverbium, quod integrum legimus apud Auson. Jdyll XII. in praef. ad monosyllab. ed. Souchay. p. 354: „Tu quoque mihi tua crede securior, quippe

Afranii Bucco adoptatus apud Non. jentare p. 126, 10.

Jentare nulla invitat

Titinii Fullonia apud Non. fuam p. 111., 10.

Perii hércle vero, Tíberi, nunç te hoc óbsecro, [89])

Ut míhi subvenias, égo,ne majalis fuam.

apud eund. perbitere i. e. perire p. 153, 25.

Jam pridem egressa, ut perbiteres.

Fullones apud Non. argutari p. 245, 31.

Térra haec est, nón aqua, ubi tu sólitu's argútárier

Pédibus, cretam dúm compescis vestimentaqué lavas. [90]).

apud eund. comest. p. 81, 14.

---

meliora, ut quod per adagionem coepimus, proverbio finiamus: et mutuum muli scabunt." Proverbium a mulorum consuetudine petitum, qui sese invicem dentibus scabunt, locum habet, ubi dicere solemus: par pari referre. Mutua pro mutuum s. mutuo cf. Lucret, IV, 302. VI, 1082, II, 75: *

89) Vulg. sine sensu: nunc tecum obsecro.

90) Ed. Plant. Fullonibus. Jun. hic quoque legi vul

Ego mé mandatam meó viro male árbitror,

Qui rém disperdit, et meam dotém comest·

apud eund. diu. p. 98, 23.

Nec nóctu, nec diú licet, fullónibus quiéscant.

apud eund. simile p. 224,4.

Formicae pol persimile rusticus ést homo.[91])

apud eund. putare i. e. aptare p. 369,22.

Da pénsam lanam, quí non reddet témpori

Putátam recte, fácite, ut multetúr malo.

apud eund. anima p. 233, 5.

Interea foetida anima nasum oppugnat.[92]),

apud eund. toga p. 406, 17.

Quae intér decem,

Annós nequisti unám togam detéxere.

apud eund. ferox p. 305, 4.

Fullonia. In ed. Plant. Terra haec est nova, quae ubi etc. Rectius edd. Pariss. et Sedan.: terra haec est, non aqua, ubi tu solitus argutari; scripsi argutarier ob metrum.

91) Vulg. persimile est rust. homo.

92) Fort. legendum, ut senarius constet:
Intérea nasúm oppúgnat anima foétida.

Víderam
Egó te virgínem ésse formosíssimam, 93)
Sponso ésse superbam, fórma ferocém
apud eund. contempla, p. 470, 2.
Adspécta formam átque os con-
templá meum. 94.)
apud eund. patibulum p. 366, 14 et po-
sticum p. 217, 20.
Sí quisquam hodie praéter hanc
Postícum nostrum pépulerit, patíbulo hoc
Eí caput defríngam.
apud eund. quaestí p. 483, 18,
Ni nós texamus, ést nihil, fullónes, vobis
quaésti.

---

93) Edd. formosissimam; Jun. formosam.
94) Forte legendum: adspecta formam meam atque os c. m. ut hiatum tollamus, qui tamen hac sede minus offendit.

Index titulorum Atellanarum Pomponianarum.

Adelphi 58.
Aedituus 60.
Agamemnon suppositus 56. 60.
Agricola s. Pappus agricola 60.
Aleones 62.
Annulus posterior 62.
Aruspex 62.
Asina s. Asinaria 63.
Auctoratus s. Bucco auct. 63.
Augur 65.
Bucco adoptatus 65.
Campani 66.
Capella 66.
Citharista 66.
Collegium 66.
Concha 66.
Conditiones 67.
Cretula vel Petitor 67.
Decuma s. Decuma fullonis 68.
De Vite 69.
Doga 69.
Dotata 69.
Ergastulum, 70.
Fullo sive Fullones 70.
Galli Transalpini 71.
Haeres petitor 71.
Hirnea Pappi 71.
Kalendae Martiae, 72.
Lar familiaris 72.
Leno 72.
Maccus 72.
Macci gemini 79.
Maccus miles 75.
Maccus sequester 75.
Majalis 75.
Maevia 76.
Medicus 77.
Munda 77.

Nuptiae 77.
Pannunceati. 77.
Pappus praeteritus. 80.
Patruus 80.
Philosophia 81.
Pictores 81.
Piscatores 84.
Pistor 85.
Pytho Gorgonius.
Placenta 86.
Porcetra 86.
Porcaria 87.
Portus s. Portitor 87.
Praeco posterior 87.
Praefectus morum 89.
Prostibulum 90.
Quinquatria 92.
Rusticus 92.
Sponsa Pappipolae. 92.
Sarcularia 92.
Satira 92.
Synephebi. 93.
Syri 93.
Vacca 93.
Verniones 94.
Verres aegrotus. 94.

Index verborum.

Accus. pro nominat. 89.
aeditumor 60.
aedituus 60.
ampliter. 71.
anima i. e. ventus 99.
aperibo. 94.
argutari 98.
auctoratus 63.
auscultare 63.
betere 91.
bidens 71.
Camillus 82.
cascus 97.
caseum, i., 72.
centuriatim 90.
clandestino 65.
clypeum, i. 66.
comedim 90.
commictilis 88.
comminuere. 95.
compescere 98.
complectere 70.
concidere 77.
condepsere. 77.
conforire. 73.
conquexi 94.
contemplare 100.
contubernale abl. 75.
contui 74.
conviva fem. 65.
convivare 77.
cossim 87.
cretula 67.
cuspis coleata 74.
dapsile 92.
datatim 58.
deducere vocem. 72.
derepente 89.
desubito 61, 85.
diadema, ae 92.
diu i. e. interdiu 99.
dolare 77.

Dossenus 66, 73, 81.
ebria 64.
edim 67.
efflictim 69.
eliminare. 67.
equites obscene 91.
equuleus 68.
es pro esto 74.
esuribis 65.
evannere 79.
expalpare 66.
expedibo 94.
expergiscere 69.
festinatim 63.
fervere 60, 70.
forus, i. 67.
frustatim 94.
frustrare 75.
fuam 98.
fulgere 75.
germanitus 89.
hariolari 81.
ibus i. e. iis 61.
ientare 98.
illim 77.
incolume abl. 93.
incoxare 80.
insaniter 63.
insipere 77.
instipere 70.
intestatus 83.
intybus 86.
invenibit 65.
irascere 66.
lactes 72.
lapathium 93.
latrina 71.
licium 91.
lirare 90.
lurcare. 93.
macellus, i. 67.
mactassint. 88.
maena 76.
manducari 61.
manducus 82.
memore 81.
merum 84.
mirare 80.
moriri 66.
nubere de viris 78.
occupare. 84.
ocquiniscere 85, 91.
olere 62.
ominare. 68.
operare 89.
operibo 89.
orca 96.
palumbi 69.
pannus, us 74.
parciter 95.
paribo 64.
particulo 88.
paulisper 69.
penula 79.
penus fem. 69, 95.
perbitere 98.
persimile est rusticus 99.
pervenibo 85.
piscatus, i. 84.
porcaria 87.
porcetra 86.
populatim 75.
praesente testibus 93.
primiter. 74.

properatim 65.
propter i. e. prope 75.
publicitus 66.
puriter 62.
putare 99.
quadrinae molae. 85.
quaestus, i, 85, 100.
quantisper 69.
quarte die 76.
quaquam i. e. quamquam 95.
rarenter 70.
reperibitur 62.
rhetorissare 77.
rictus 92.
ringere 85.
rumen. 90.
rusticatim 62.
rutrum 77.
schema, ae. 91.
scirpiculus 84.
senex fem. 97.
senica i. e. senex 83, 88.
senium. 87.
sescunciae 83.
seplasia 59, 92.
spurcae 91.
taxillus 95.
taxim 65.
temetum 68.
Terminus obscene 85.
testatim 95.
tinnulus 72.
tolutim 68.
tortari 68.
torviter 64
trua 78.
tumultus, i 84.
tutare 80.
tutulatus 78.
uti cum acc. 93.
vagare 80.
varicosus 78.
velare 78.
vegere act. 75.
venibo 74.
verecunditer 73.
verminari 71.
veprecula 87.
victoriatus 84.
villicari. 70.

Corrigenda.

P. 23, v. ult. oblita l. obliterata. — P. 25, v. 15 suppetebat l. suppeditabat. — P. 32, v. 6 generi l. genere; ibid. v. 27 Asconi ad Cicer. de divin. II., 10 l. Ascon. ad Cicer. divin. (in Caecil.) c. 17. — P. 41, v. 1 Cabigula l. Caligula. — P. 48, v. 22 Decuma fullonis l. Decumae f., et v. 23 Decumae l. Decuma. — P. 53, v. 14 est l. sit; v. 21 fellie l. felli e. — P. 59, v. 4 Dite l. Di te. — P. 65, v. ult. macr acavum l. macra cavum. — P. 69, v. penult. post vocem „ipsi" dele interpunct. — P. 73, v. 3 floria l. foria. — P. 74, v. 3 adud l. apud. — P. 80, v. 5 vogas l. vagas. — P. 84, v. 5 occuparem l. occuparem [59]). — P. 94, v. 5 muliéres l. mulieres. — P. 95, v. 15 lenum l. leonum.

Sumptibus

novae librariae Guenterianae

prodierunt Glogoviae:

Anacreontea quae dicuntur secundum Levesquii collationem codicis Palatini recensuit, strophis suis restituit, Stephani notis integris, aliorum selectis suisque illustravit Dr. Fr. Mehlhorn. Subjecti sunt duo excursus de imperfecti quodam usu et de activa vi adjectivorum verbalium in τος. 8 maj. 1825.
1 Rthlr. 18 ggr.

Mehlhorn's, Dr. Fr., Aufgaben zum Uebersetzen aus dem Deutschen in das Lateinische, mit einem Wörterbuche und zwei nach Schneiders ausführlicher Grammatik entworfenen Tabellen über die Geschlechtsregeln und abweichenden Casusformen für die unterste Classe eines Gymnasiums auf vier halbjährige Cursus ausgearbeitet. 8. 1823. 8 ggr.

Propediem prodibunt

Mehlhorn's, Dr. Fr., griechisches Lesebuch für die dritte Klasse eines Gymnasiums, auf vier halbjährige Cursus eingerichtet. 8.

Munk, Dr. E., tabellarische Uebersicht der Metra der Griechen und Römer, nach der Böckhischen Ansicht geordnet.



